BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
5 B
5

Digitized by Google

Digitized by Google

DELICIAE

ERVDITORVM.

Digitized by Google

DELICIAE ERVDITORVM SEV VETERVM ΑΝΕΚΔΟΤΩΝ OPVSCVLORVM COLLECTANEA

IO. LAMIVS

Collegit, illuſtravit, edidit.

FLORENTIAE. MDCCXXXIX.

Ex Typographio PETR. CAIET. VIVIANII

Ad Inſigne D. THOMAE AQVINATIS.

Cum adprobatione.

MICHAELIS GLYCAE

EPISTOLARVM

PARS SECVNDA.

Digitized by Google

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
VIRO
VINCENTIO MAR. RICCARDIO
PATRICIO FLORENTINO
CLANNIS ET RVPIS ALTAE MARCHIONI
SENATORI
SACRAE D. STEPHANI MILITIAE EQVITI
SERENISSIMI MAGNI ETRVRIAE DVCIS
GAZOPHYLACI
DOMINO IN PRIMIS HONORANDO.
IO. LAMIVS
DEDICO CONSECROQVE.

PRaeſidium & tutelam Tuam, SENATOR AMPLISSIME, haec *Michaelis Glycae* Epiſtolarum pars ſe-

ſecunda implorat, ut a lividorum obtrectationibus ſecura in vulgus prodeat. Et quidem fore confidit ut Tuo valido patrocinio eam tuearis, & quia Tua prope eſt, quum ex Codice MS. Tuae locupletiſſimae Bibliothecae proferatur; & quia favore ſimili primam Partem, germanam, ut ita dicam, ſuam, Illuſtriſſimus frater Tuus BERNARDINUS amplexus eſt. Aemula in vobis ad optima & praeſtantiſſima quaeque capeſſenda virtus eſt, paribuſque vos ſtimulis incitat, ita ut eadem Vos iam laus, & gloria, praeter vetuſtam & praeſignem generis nobilitatem, ſupra alios plurimos extollat atque efferat. Graecae quidem Epiſtolae ſunt, & a Graeco homine, ſcriptae; additae inſuper Epiſtolae

aliae

aliae pariter Graecae, & a *Maximo Margunio* Cytherorum Epiſcopo proximioribus temporibus exaratae; duobus Helladis Auctoribus, qui ambo, ni fallor, miſerae florentiſſimi quondam Imperii deſolationis, & captivitatis, partes fuere. Quam bene Tuam hi protectionem flagitantes ad TE confugiunt, qui acerbos aliorum caſus miſerari ſoles, cunctiſque ita ſuccurrere, ut inopum, & ſaevitiem fortunae experientium mortalium, pater iam eſſe videaris. Quin, quum maximam Europae partem peragrans, multorum hominum mores & urbes videris, infelicem Graeciam, quum TIBI opportuna non eſſet, praeteriiſti; & recte quidem: ſed tamen non adeo eius ruinae deſpiciendae,

ut ſaltem quae litterae, quae ſtudia, ibidem ſuperfuerint, vel ex hiſce ſpeciminibus cognoſcere, TIBI iniucundum futurum ſit. Quid quod & aliqualem huiuſmodi cupidinem TE inceſſere oſtendis, quum vim Itinerariorum eruditorum ingentem TIBI comparaveris, & iis privatam Tuam Bibliothecam inſtruxeris, quorum quidem plurimi & Graeciam deſcribunt, & eius incolarum conditionem, mores, ſtudia, & ritus, ediſserunt. Quid quod & meam quamdam Diſsertationem volumen hoc continet, qua & adverſus Philoſophos de carnis reſurrectione dogma loculente, ſtabiliterque confirmo; & *Th. Burneti* Hetherodoxi hominis circa idem placitum deliramenta

confutans exſibilo, & Catholicae ſapientiae decreta tueor atque defendo ? Quis autem ignorat quam TV ſis avitae & Orthodoxae religionis tenaciſſimus, eamque exſtantem ſemper, ac de erroribus quibuſcumque triumphantem ſubſpicere gaudeas ; quod etiam in cauſsa fuiſse ſcio, cur me potiſſimum pro Sancta Dei Eccleſia contra eius omnes inimicos pro virili dimicantem, ad Tuae Bibliothecae cuſtodiam inter multos elegeris. Inſuper vero ita ſpectata eſt tua comitas incredibilis, & ſingularis humanitas,ut hoc qualecumque munuſculum AMPLITUDO TUA aſpernari non poſſit, meae quidem venerationis indicium, monumentum vero benignitatis Tuae, qua Nomen Tuum

im-

immortale huic volumini decorando praefigi paſſus es. Vale, VIR NOBILISSIME, & diuturna tua incolumitate noſtras ſpes amplius erige, & litteris boniſque artibus progreſſus admirabiles pollicere. Dabam Florentiae Idibus Novemb. Anno MDCCXXXIX.

CANDIDO LECTORI

IO. LAMIVS S. D.

EN *alias quinque* Michaelis Glycae *Epiſtolas*, *ſeu Diſſertationes*, *in vulgus prodimus*, *nunc primum omnes*, *decima excepta*, *quam quidem* Bonav. Vulcanius *in* Scholiis ad Cyrillum Alexandrinum contra Anthropomorphitas, *Latina ſua interpretatione addita*, *olim publici iuris fecit*, *licet initio & medio mutilam*, *quae nos ei ex Codice Riccardiano reſtituimus*. *In Praefatione quidem*, *quam primae harum Epiſtolarum a me editarum parti praefixi*, *adſerui* Michaelem Glycam *Siculum fuiſſe*, *codicum*, *quos doctiſſimus* Phil. Labbeus *conſuluerat*, *fidem ſequutus*; *ſed quum modo videam eruditiſſimum virum* Io. Boivinum

num *docere pro* Σικελιώτου *legendum* Σικυδιώτου, *ſive* Σικυδίτου, *quod hoc illius nomen apud Nicetam occurrat*; *adeoque* Glycam *noſtrum Byzantinum fuiſſe adfirmare; heic id monendum cenſui, ſed ut & monerem* Boevinum *probabiliter falli*, *dum credit* Glycam *noſtrum a Niceta Choniate*, *qui anno MCCIV. florebat*, *memorari potuiſſe*; *quum exploratae prope fidei ſit*, *contra quam* Voſſius, *&* Labbeus, *&* Caveus, *&* Fabricius, *ſenſerint*, Michaelem Glycam, *medio circiter quinctodecimo ſaeculo*, *claruiſſe*; *quod & in alia Praefatione obſervavimus*. *Quis enim communi ſenſu praeditus dicere queat* Michaelem Glycam, *ſi ſaeculo XII. ut illi putant*, *vixiſſet*, *Epiſtolas XXXV. XXXVI. & XLI.* τῷ πανσεβάςῳ σεβάςῳ κυρῷ κωνςαντίνῳ τῷ παλαιολόγῳ Auguſtiſſimo Imperatori Domino Conſtantino Palaeologo, *qui demum anno MCCCCXLVIII. regnare coepit*, *ſcribere potuiſſe? Quin ea*, *quae habet* Nicetas Libro II. & IV. *de Michaele Sicydite Mago & facinoroſo homine*; *miror quomodo* Boevinus *de* Michaele Glyca *intelligere potuerit*, *quum*, *vel* Glycae *Annales evolvas*, *vel eius Epiſtolas perlegas*, *nihil aliud ex iis exſtet niſi quaedam pietas*, *& ſacrarum litterarum ſtudium*, *divinorumque Patrum ampla cognitio*; *& multo magis miror in eius ſententiam tam facile iviſſe doctiſſimum* Io. Alb. Fabricium Tom. X. Biblioth. Graec.

pag.

pag. 228. & 545. *Non ignoro a quibuſdam obiectum iri nos certo non ſcire, an illae omnes Epiſtolae* Michaelis *noſtri ſint. At certe Zonarae, cui quidam Codices tribuunt, eſſe non poſſunt illae, quae Conſtantino Palaeologo ſcribuntur. Zonarae enim aetas repugnat. Sed quaedam alterius alicuius eſſe non poterunt? Argumenta ut id evincatur adferre neceſſe eſt. Pro* Glyca *ſtat Codicum MSS. inſcriptio; ſtat quod illarum Epiſtolarum plures eius quoque Annalibus totidem verbis inſertae ſunt; ſtat idem ſtilus, eadem ſcriptionis materies, eadem diſpoſitionis, & ratiocinationis, methodus. Quae quidem omnia ſimul collecta & expenſa praevalere videntur ieiunae illi dubitationi:* Quid ſi Epiſtolae miſcellae ſunt? *Quod ſi* Glycae *dictio elegans & florida eſt, non ideo ſaeculo XV. minus congruit, quo exploratum habemus, Plethones, Beſſariones, Trapezuntios, Gazas, Argyropylos, Laſcares, Chalcocondylas, Muſuros, & Graecos alios ſexcentos diſertiſſimos, omnes eloquentiae ornatus, & dictionis phaleras, copiamque uberem, in ſuis inſtructiſſimis commentariis & epiſtolis exhibuiſſe. Quid autem habent alii de* Glycae *aetate aliter ſentientes, quo ſuam opinionem fulciant? Illud unum nimis incertum & fallax,* Glycam *ſuos Annales ad ſaeculum XII. tantum deduxiſſe. Multa in cauſſa eſſe potuere, cur ulterius Annales* Glycas *non* pro-

produceret, ut alibi obſervavimus; & lecto-rem exemplis obruere poſſem, niſi brevitati con-ſulerem, eorum, qui licet ſerius vixerint, ſuſceptas tamen hiſtorias ad ſuam uſque aeta-tem non deduxerunt. Et haec quidem, conie-cturis probabilioribus indulgens; quum tamen plurimi faciam de Glycae aetate dubitatio-nem, qua vir doctiſſimus aeque ac amiciſſi-mus ſe in ea traducit ambiguum. Non tamen a Boevini *ſententia longe receſſerim in eo quod* Glycam *Byzantinum putet; a me enim iam animadverſum fuit Glycetarum familiam etiam Conſtantinopoli fuiſſe, & Ioannem Glycyn, ſeu Glycan, ut* Dufremius *adpellat, Patriar-cham CP., claruiſſe anno MCCCXVI. Item Daniel Glycys, unus eſt ex iis, ad quos Georgius, ſeu Gregorius Cyprius Pa-triarcha CP. qui anno MCCLXXXIII. florebat, ſcribit, ut apud* L. Allatium De Georgiis *videre eſt, & ex eadem forte familia ac Ioannes fuit. At non repugnat* Glycam *noſtrum origine Conſtantinopolitanum fuiſſe, incolatu ve-ro Siculum, praecipue ſi Monachus erat, ut* Fabricius *arbitratur. Patet enim Siciliam, & Calabriam Graecis Baſilianorum Monachorum Coenobiis refertas fuiſſe, & in iis non Itali tantum, ſed & Graeci ipſi (quamquam Sici-lia olim & Calabria, quae Magna Graecia quoque dicta eſt, Graeciſſantes provinciae e-rant) philoſophiam Chriſtianam profitebantur.*

Ro-

Rochus Pyrrhus *in ſuae* Siciliae Sacrae Libro IV. *triginta Baſilianorum Coenobia in Sicilia exſiſtentia recenſet, atque deſcribit, quorum plurima ſub Conſtantino Copronymo excitata fuiſſe videntur, quum ſcilicet ille impius Imperator edicto promulgato vetuerat eſſe Monachos in Oriente. Tunc enim ingens Monachorum Orientalium multitudo ſe ſe in urbem, & Italiam infudit, quorum quum Graeca lingua eſſet peculiaris, eosdem in Monaſteriis collocatos voluit Paulus Papa I. ea praeſtare, quae conſueviſſent in Monaſteriis Orientis, & pſalmorum cantus, aliaque officia Eccleſiaſtica ſua ipſorum lingua abſolvere, ut ſcribit* Baronius, *Annalium parens eminentiſſimus. Quod quidem ſuccedentibus temporibus uſque ad ſuam aetatem, hoc eſt, uſque ad annum MDCXL. & quod excurrit, ſervatum eſſe teſtatur* Rochus Pyrrhus, *Netini Coenobii Baſiliani Abbas, laudatus* Notit. I. Libri IV. *cum quo neſcio quomodo conciliare praeſtantiſſimum* Montemfalconium, *qui* Cap. XV. Diarii Italici *ſcribit, in Calabria, & aliis Neapolitani regni regionibus, atque in Sicilia, Linguae Graecae in Eccleſiaſticis Officiis uſum fuiſſe, donec Sixtus IV. vetuit, ne quis niſi Latine divina officia perſolveret; niſi dicamus Sixti IV. edictum ad Monachos etiam Baſilianos extenſum non fuiſſe; ſed tantum Clericos Saeculares, alioſque aliorum ordinum Monachos reſpexiſſe.*

Et

Et quidem Io. Mabillonius Itinere Italico *tradit Monachos Coenobii Cryptae Ferratae duodecimo ab Vrbe lapide diſtantis, Miſſam Graece celebrare, ſed Romano ritui prorſus accomodatam. Iam vero, quum haec ita ſe habeant, quis non videat facilem & non ingratum Graecis ad haec Sicula Coenobia tranſitum fuiſſe, multoſque illorum in ea Inſula auſteriorem vitam ſumto ſacro ſchemate profiteri potuiſſe; eorumque unum* Michaelem Glycam *forte fuiſſe? Quis enim ignorat laudatum* Baronium *tradere ſub Leone quoque Armenio Imperatore ſacrarum imaginum hoſte, orthodoxos Monachos Conſtantinopoli, & ex aliis Orientis partibus exactos & extorres in Italiam, & Romam confugiſſe? Sed exemplis etiam id confirmare proclive eſt, ex ea circiter aetate, ac deinceps, petitis, qua* Glycam *vixiſſe veroquamſimillime credimus. Ecce Beſſarion Cardinalis, patria Trapezuntius, anno MCCCC XLVI. ac deinceps, Archimandrita erat Monaſterii Sancti Salvatoris Linguae Phari Meſſanae; & Monaſterii SS. Petri & Pauli de Agro, & Sancti Philippi Maioris, & Sancti Angeli de Brolo, quum inſuper eſſet protector univerſi Ordinis Baſiliani, ut* Pyrrhus *citatus memoriae prodidit. Anno MDLI. Anatolius Conſtantinopolitanus Monachus, una cum Monacho pariter Graeco Baſiliano Davide,*

vid, & *Presbytero quodam Societatis Ieſu*, *in Sicilia Diploma Rogerii Regis anno MCX LV. conceſſum, quo Rex confirmat Athanaſium Hieromonachum, ſecundum Abbatem Coenobii S. Philippi Maioris, deſcribit, quod in libros Regiae Cancellariae transfertur. Immo non dubitandum Linguae Graecae Praeceptores aliquos in memoratis Monaſteriis per ea tempora eſſe, praeſertim quum in Sicilia*, & *Calabria, Italica lingua paſſim invaluiſſet*, & *maior Monachorum numerus tunc temporis Italus fuiſſet; ut Graecis litteris animo comprehenſis Monachi Graeca Lingua de more Eccleſiaſtica officia perficerent. Ex his eſſe potuit* Michael Glycas, *qui in Codice Riccardiano ideo forte* Grammaticus *dicitur. Et certe huiuſmodi Praeceptores neceſſarios fuiſſe evincit etiam id, quod deinde conſequutum eſt, Anno videlicet MCCCCLXI. Senatum Meſſanenſem a Pio II. Pont. Max. petiiſſe*, & *obtinuiſſe, ut Gymnaſia Graeca Meſſanae pro Monachis Graecis, ſeu Calogeris, conſtituta Praeceptori annua mercede aureorum LXXX. de camera, ſolvenda a Monaſteriis Baſilianis, erigerentur; quod exſequutioni mandandum Beſſarion Ordinis Protector litteris Romae anno inſequenti datis edixit, Athanaſio Epiſcopo Hieracenſi*, & *quibusdam Abbatibus, ſcribens. Hinc Conſtantinus Laſcaris CP. ex litteris Protectoris Ordinis datis Romae pridie*

Idus Decembris MCCCCLXVII. cum mercede annua ſcutatorum LXXX. quae ſolvere tenerentur Monaſteria Graeca Siciliae, docendae linguae Graecae praeficitur. Anno MCCCCLXXVIII. Conſtantinus Laſcaris adhuc in Sicilia docebat, & hoc anno, iuſſu Aegidii Romani Abbatis Monaſterii SS. Petri & Pauli de Agro, e Graeco in Latinum convertit primaevum Diploma fundationis & dotationis illius Coenobii datum Anno mundi 6625. *indictione* 9. *Anno pariter MCCCCXCIX. idem Laſcaris Latine reddidit Graecum Diploma Rogerii Comitis, quo is teſtatur parta de Saracenis victoria Templum & Coenobium Sanctae Mariae de Mili aedificaſſe, & ei Michaelem Abbatem praefeciſſe, datum anno Mundi* 6600., *die X. Decembris Indictione XIV. Chriſti MXCII. Sed vix dubitare poſſum, quin hic ipſe Laſcaris & ante haec tempora in Sicilia, & Calabria verſatus ſit, quum videam eum Librum De Calabris, & Siculis Scriptoribus exaraſſe, & Alphonſo Neapoleos Regi, qui anno* 1458. *naturae conceſſit nuncupaviſſe; qui liber habetur apud* Fabricium *Tom XIV. Bibliothecae Graecae. Atque haec quoad* Glycae *aetatem & patriam dicta ſint. Nunc, aliam Praefationem etiam in hoc ſuppleturi, memorabimus* Michaelis Glycae *De Poenitentia Salomonis tractatum, unum illorum Opuſculorum fuiſſe, quod* Allatius Libro IV. *ſuorum*

rum

rum Symmiꝺon *inſerere meditabatur*, *ut apud* Fabricium *laudatum citato Tomo videre eſt*; *qui forte nil aliud eſt*, *quam una ex* Glycae *Epiſtolis*. *Inſuper monemus Graecum Annalium* Glycae *Codicem MS. in Bibliotheca Saibantis Veronae adſervari*, *ut prodit in ſua* Verona illuſtrata *Vir doctrinae & eruditionis immenſae* Scipio Maffeius *Marchio*. *Iuvat etiam heic adponere nomina eorum*, *ad quos* Glycas *ſcribit* : *Sunt autem*:

Andropulus Palaeologus τῷ μεγαλοδοξοτάτῳ κυρῷ Ανδροπούλῳ τῷ παλαιολόγῳ.

Alypius ἔγκλειστος *ſive incluſus*. 20 38 44.

Conſtantinus Palaeologus 35 36. 41.

Eſaias Monachus 8. 9. 10. 13. 14 15. 16. 17. 46. 50. *Monachus & Domeſticus* 18. 19. 22.

Gregorius Acropolites 11. 12.

De dicto Gregorii Nazianzeni, *qui diem* τῶν φώτων *dixit* λαμπροτέραν *feſto Nativitatis Chriſti*, *quod Chryſoſtomo eſt ceterorum feſtorum Metropolis* 43.

Ioannes Aſpiota, *Monachus* 5 6. 7.

Ioannes Dux, τῷ μεγαλοδοξοτάτῳ μεγάλῳ ἑταιράρχῃ κυρῷ ἰωάννῃ τῷ Δούκῃ.

Ioannes Sinaita, *Monachus Stylita* 1.

De Manuelis Comneni Imperatoris edicto circa Aſtrologiam & divinationem 39. 40.

Maximus Smeniota, *ſeu Aſmeniota* 2. 3. 4. 27. 28.

Meletius Critopulus 45.

Nicephorus Sinaita τῷ οἰκειοτάτῳ ἀνθρώπῳ τοῦ κρατκιοῦ καὶ ἁγίου ἡμῶν αὐθέντου καὶ βασιλέως κυροῦ Νικεφόρῳ τῷ σιναίτῃ 24. 25. 26.

Nilus Monachus . 47. 48. 49.

Onufrius Monachus 23. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 42.

Stephanus Monachus. 37.

De Tropario Theodori Studitae, *&* *eius dicto quodam* 34.

Quae omnes Epiſtolae iuxta Fabricium *ita digeſtae numerum L. explent*, *quot ille credit a* Lambecio *recenſeri; ſed multo plures ille memorat*, *&* *ad numerum LXIV. adſcendere adfirmat*, *ut iam in prima Praefatione animadverti. Quin ipſe* Fabricius *obſervat Pariſiis in Bibliotheca Regia Epiſtolas XCII.* Michaelis Glycae *MSS. adſervari; ipſe vero addiderim* Glycae *Epiſtolarum Codicem manu exaratum*, *qui in Auguſtana Bibliotheca exſtat*, *&* *cuius alibi mentionem fecimus*, *mihi miſſum* *&* *commodatum iri*, *ſi velim*, *ut omnes deſcribam*, *ſpem feciſſe Vir Clariſſimus* Iac. Brukerus *Auguſtanus*, *Caufbyrenſis Miniſter* *&* *Scholarcha doctrina iuxta ac humanitate praecellens; quem quidem nendum Senatum illum ampliſſimum petii*, *quod omnes illae his* Deliciarum *mearum anguſtiis comprehendi non poſſint*, *ut materiarum varietas in iis promiſſa ſervetur. Memorabile* *&* *inſigne exemplum*,

quod

quod multos patriae ingratos, litteris exitiales, ſibique & ſuae famae inimicos, homunciones, qui ad inutiles iam ſuas Bibliothecas viris doctis aditum praecludere ſubſtinent, merito pudore ſuffundat. Epiſtolae V. Glycae, *quas hoc volumine publici iuris facio, partim Ioanni Aſpiotae Monacho, partim Eſaiae pariter Monacho, ſcribuntur. Quis ſit Ioannes ille Aſpiotas ignoro prorſus. Idem proferrem de Monacho Eſaia; niſi* Caſ. Oudinus *opinari videretur eſſe eumdem ac Eſaiam illum, cuius Epiſtolam contra Nicolaum Sclengiam,* De Proceſſione Spiritus Sancti, *producit* Allatius Tom. I Graeciae Orthodoxae; *& qui anno MCCCCXXX. probabiliter florebat, ut obſervant* Wartonus, *&* Fabricius. *Hic Eſaias adpellatur etiam Monachus & Domeſticus, ut iam innuimus.*

Et haec quidem de Michaele Glyca *dicta ſufficiant. Iam cur poſt* Glycae *Epiſtolam VII. meam prolixiorem* De reſurrectione carnis *tractationem adverſus Philoſophos inſeruerim cauſſa adferenda eſſet; ſi minus ibidem* pag. 94. *expediiſſem: Cur autem in eadem Diſſertatione* Th. Burnettum *de reſurrectione agentem confutandum ſuſceperim, initio ipſo Capitis X. edixi; & nunc addo me Chariſmata meliora aemulantem, quum vidiſſem eumdem de* Viſionis Dei beatificae *dilatione delirantem luculentis commentariis editis a Viro clariſſi-*

mo, *&* *mihi amiciſſimo* Lud. Ant. Muratorio, *confutatum fuiſſe*, *occultis ſtimulis actum*, *docti quidem*, *ſed fanatici hominis errores quoad aliud Chriſtianae ſapientiae caput arguere*, *&* *exſibilare adgreſſum fuiſſe*, *breviter tamen* *&* *via compendiaria*, *quum amplioris Diſſertationis noſter hic libellus*, *qui multa alia complecti debebat*, *capax non eſſet*. *Aliud quoque in cauſſa fuit*, *cur id facerem*, *&* *quidem violentius*, *&* *pluris aeſtimandum*; *orthodoxae ſcilicet religionis amor*, *&* *caſtorum Romanae Eccleſiae placitorum mihi cognata unigenaque tenacitas*, *quae adeo luculenta ac ſplendida in omnibus meis operibus fulget*, *familiaribuſque ſermonibus emicat*, *ut talparum* *&* *veſpertilionum noſtri ſaeculi quorumdam oculi caliginoſi eius rutila coruſcatione praeſtingantur*, *ita ut offendant in meridie*, *quod Propheta aiebat*, *tamquam in tenebris*, *nec lucem illam comprehendere valeant*. *Licet vero harum pecudum vellera*, *Libro* De Eruditione Apoſtolorum *in vulgus prodito*, *bene carminata dimiſerim*, *forſitan olim alia ratione*, *&* *quidem efficaciori*, *eos reſipiſcere*, *&* *veritatem adgnoſcere*, *cogam*; *nec eos galerus patulus*, *&* *pallium amplum* *&* *laciniosum*, *a meae dexterae fulmine proteget*. *O infelicem noſtram aetatem!* *Non quod divina ſcriptura docet*; *non quod Patrum traditio confirmat*; *non quod credendum Eccleſia Romana proponit*, *apud bar-*

dos

dos illos , & facinoroſos homines , fides & dogma Chriſtianorum eſt ; ſed quidquid ſuperſtitionis ſomniant , quidquid fabularum comminiſcuntur , quidquid ridiculi eructant aut pedunt , niſi credas , & amplectaris , haereticus es , atheus es , eliminadus es . Sed lepida capita , & δαιμόνιοι , hoc vel illud Petri Sedes , Chriſtianorum ſuprema Magiſtra , dogma Chriſtianorum eſſe non adgnoſcit ; ergo quia Filiuccius *hoc perſonat ; praedicat* Tamburinus ; Diana *reſolvit* ; Maſtrius *ingerit ; aliique , magis portenta quam nomina , inculcant ; niſi firmiter credam , niſi mordicus teneam , haereticus ero ? Papae ! An neſcitis fidem Chriſtianam eſſe individuam ? & aeque ab ea diſcedere , qui plus credit , quam qui minus ? Nec minui , nec ampliari poteſt : una eſt , individua eſt . Vos haeretici eſtis , qui ſaepe ea tamquam de fide credenda proponitis , quae ſancta Eccleſia non docet ; & veram Chriſtianam fidem interpolatis , atque corrumpitis . Nos quidem veri Chriſtiani ſumus , & veri ſpiritu Iſraelitae Aegyptum Idololatram , & ſuperſtitioſam , averſamur . Criminamini , maledictis proſcindite , perſequimini , occidite etiam , nunquam obtinebitis ut nos vobiſcum crocodilum adoremus , ibin paveamus , cercopithecis advolvamur . Itaque ut magis atque magis in dies ſpectatam pietatem noſtram , & puram caſtamque religionem adprobemus , &*

ſanctae Matris Eccleſiae Romanae dilectionem promereamur, *haereticum* Burnetum *quoad reſurrectionis doctrinam confutavimus*.

Sed quid de Epiſtolis Maximi Margunii *additis dicam? Nonne* Margunius *ſchiſmaticus Graecus & haereticus fuit*, *& inſignis Romanae Eccleſiae hoſtis? Cur igitur eius ſcripta produco? Produco*, *quia Eccleſia Romana & hoſtium ſuorum ſcriptis opus habet*, *ut confutet & arguat errores*, *atque ita in regiam viam eos*, *qui per haereſum divortia aberraverant*, *reducat*; *& hac quoque ratione*, *benignam*, *ac veram ſe matrem oſtendat*. *Produco quia Eccleſia Romana hoſtium ſuorum ſcriptis utitur*, *velut induſtria apis*, *quae ex thymo amaro mel dulce ac ſuave colligit*, *ut ex iis ipſis ſuorum placitorum veritatem adſtruat adverſus alios inimicos ſuos*; *atque ita Iſrael vendicatis ſibi Aegypti auro*, *& divitiis*, *veritatem adſertam in ſuos uſus iuſte convertat*, *quam illa iniuſte poſſidebat*. *Id quod factum etiam eſt a* Scip. Maffeio (*qualis & quantus vir Deus bone!*) *in docta illa Epiſtola*, *quam contra Pfaffum ad Abbatem Bacchinium ſcripſit*, *& in qua Eccleſiae rem productа etiam* Margunii *Epiſtola*, *fulcire non dubitavit Produco quidem*, *& GlycaeSchiſmatico Schiſmaticum alium apte coniungo*; *ut quantum hiſce litteris Eccleſiae minime nocent*; *tantum ſua eruditione rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſos*

iuvenes

iuvent atque delectent. Sed licet Margunius *ſchiſmaticus fuerit, nihil hae illius Epiſtolae erraticum continent; imo multa e contra habent moribus formandis utilia, atque animis erudiendis opportuna.*

Maximi Margunii *aetatem Epiſtolae eius indicant; prima enim harum data eſt anno MDLXXXIV. Secunda anno MDLXXXVII. Tertia, & quarta anno MDXC. Quinta, ſexta, & ſeptima, & quartadecima, inſequenti. Octava vero, & nona cum quintadecima MDXCII. quo anno quoque ſcripta eſt Epiſtola Patriarchae C. P. ad ipſum* Margunium, *quae ante* Margunii *Epiſtolam XV. collocata eſt. Decima autem MDCI. uſque ad tertiamdecimam. Ex Epiſtola* Margunii, *quam V. Cl.* Maffeius *edidit, patet* Margunium *anno MDLXXIII. nondum Monachum fuiſſe, quemadmodum ex aliis tribus eiusdem Epiſtolis eodem anno Patavii datis, quae MSS. apud me exſtant. Item anno MDLXXV. nondum Monachi habitum induerat, ut liquet ex Epiſtola MS. data hoc anno Patavii, quam pariter ipſe poſſideo. Ex prima earum* Margunii *Epiſtolarum, quas prodo, & aliis MSS. conſtat eum anno MDLXXXIV. merum Hieromonachum fuiſſe. Sed ex Epiſtola inedita in Creta ſcripta comprehenditur, etiam anno MDLXXVIII. iam Monachum fuiſſe. Ergo inter annum*

MDLXXIII. & MDLXXVIII. Monachum profeſſus fuerit. Anno vero MDLXXXVII. fuiſſe iam Cytherorum Epiſcopum ex ſecunda Epiſtola patet. Ex Epiſtolis vero MSS. colligitur anno pariter MDLXXXV. Epiſcopum Cytherorum fuiſſe, quando ita in illis ſe inſcribit; quare corrigendus eſt Nicol. Comnenus Papadopulus, qui in Hiſtoria Gymnaſii Patavini ſcribit Maximum noſtrum anno MDLXXXIX. Cytherorum Epiſcopum creatum fuiſſe; corrigendus quoque Fabricius qui Vol. X. Biblioth. Graecae pag. 537. ait Margunium poſt annum MDLXXIV. Cytherorum Epiſcopum ſediſſe; quum poſt MDLXXXIV. hoc eſt, ſequenti, dicere debuiſſet; cuius tamen veſtigiis inſiſtit etiam Iac. Brukerus, vir doctiſſimus, in Diſſertatione Epiſtolica De meritis in rem litterariam, praecipue Graecam, David. Hoeſchelii; in qua & mei pro ſua in me benevolentia mentionem facit. Caſtigandus inſuper Car. Ducangius vir eruditiſſimus, qui Margunium anno MD. vixiſſe tradit, & a Maximo Cytherenſi Epiſcopo, qui anno MDC. ſcripſerit, perperam diſtinguit; ob quam diſtinctionem etiam Fabricius πολυμαθέστατος a clariſſimo Maffeio notatur. Nec ab errore immunis eſt Caveus, qui Diſſertatione II. De libris Eccleſiaſticis Graecorum ſcribit anno MDXXIX. Menologium Graecorum ex Menaeis erutum, & in linguam Graecam

cam

cam vernaculam a Maximo Margunio *Cytherorum Epiſcopo verſum Venetiis editum fuiſſe apud Pinellum Typographum; & ibidem omnino reſcribendum eſt MDCXXIX. uti tradit &* Fabricius Tom.IX. Biblioth. Graecae.

Quum haec generaliter dicta ſint, ad magis particularia veniamus. Maximus Margunius *natus eſt in inſula Creta, atque urbe cognomine. Mercatoris filius Venetias cum patre venit anno circiter MDXLVII. ut ipſe indicat in* Notis ad Nomocanonem ad Can. III. Chalced. *A patre Patavium miſſus quadriennio Latinas litteras ac Philoſophiam, auditis claris Profeſſoribus, didicit; Theologiam quoque Scoti, ut ipſe ſcribit* Epiſtola ad Georgium Lombardum *Cretenſem, cuius, & Barocii itidem Cretenſis, cliens & contubernalis fuit. Forte hoc tempore libellum* De traditionibus Eccleſiae *ſcripſerit, quum eius adhuc iuvenis opus ſit, ut* Comnenus *tradit; & certe quum Patavii primum eſſet tunc annos XXV. circiter natus fuiſſe videtur. Reverſus Venetias tunc quum indictum eſt laurea donandis iuſiurandum & profeſſio fidei Catholicae ex formula Pii IV. ibi mortuo patre ex hereditate dives Graecam Typographiam aperuit; multaque edidit; donec incendio, quo D. Antonii templum & celebris ibi MSS. Graecorum bibliotheca conflagravit, eius quoque proxima Typographia conſumta eſt, ut ipſe* Dav.

Hoeſchelio *ſcribit. Quo autem anno Venetias perrexerit, ignoro; exploratum tamen habeo ex Epiſtolis, ut innui, anno MDLXXIII. & MDLXXV. Patavii fuiſſe. Tunc inops ipſe effectus in Greciam reverſus eſt, quod quidem, ut vidimus, poſt annum MDLXXV. contigit, & ad res ſacras animum advertens, Monaſticum habitum ſumſit, &* Maximus *adpellatus eſt. Antea enim* Michael *vocabatur, ſi* Nic. Comneno Papadopulo, *qui certe fallitur, credimus; ſi vero Viris doctiſſimis* Scip. Maffeio, *&* Io. Alb. Fabricio, *fidem habemus,* Manuel, *evincentibus id Epiſtolis eiusdem ſub hoc nomine datis Patavii anno MDLXXIII. & MDLXXV. ad Gabrielem Philadelphienſem; & Epiſtola Martinii Cruſii ad* Manuelem Margunium, *quae in Turco Graecia habetur. Video ab iisdem numquam ſine laude loquendis* Maffeio *&* Fabricio *obſervari, moris eſſe apud Graecos, quando ad Epiſcopatum evehuntur, nomen ſuum alio nomine, quod ab eadem littera incipiat, mutare; quod quidem exploratae fidei eſt: ſed* Margunius *noſter prius* Manuelis *nomen poſteriore* Maximi, *quum Monachum profeſſus eſt, mutavit; id quod patet ex Epiſtolis ab eo ſcriptis Gabrieli Severo ab anno MDLXXVIII. uſque ad annum MDLXXXIV. in quibus* Μάξιμος ἐλάχιστος ἱερομόναχος ὁ μαργούνιος. *Et quidem* Leo Alla-

tius

tius Lib. De Georgiis *obſervat*, *nomina a Graecis mutari ſolita etiam quum Monaſticum habitum ſumunt. In patria, S. Catharinae coenobium, quod Montis Sinai Metochium adpellatur, incoluit, & ibi eo adpulit animum, ut rationem aliquam inveniret, qua Orientalis & Occidentalis Eccleſiae diſſidium componeret; & in eum finem ſcripſit orationes ſeu libros de Proceſſione Spiritus Sancti, quibus id, quod parti utrique ſatisfaceret, conſtituere conatus eſt. His libris inſtructus Romam venit ſub extremos Gregorii XIII. Pontificatus annos, a quo etiam alimenta ſuſcepit; quique negotium examinandum, abſolvendumque commiſit tribus Cardinalibus, Iulio Antonio Sanctorio ſcilicet, Vincentio Lauro, Auguſtino Valerio. Pertracta res eſt ad Sixti V. Pontificatum, quo iubente, quum* Margunii *fides ſubleſta videretur, indictum* Margunio *ante omnia, ut orthodoxam fidei confeſſionem coram Fidei Quaeſitoribus ederet; ſin minus in cuſtodiam coniiceretur; & honorariis ad alimenta ſtipendiis, quae Gregorius XIII. largitus fuerat, privatus eſt. Hiſce rebus* Margunius *irritatus, Roma fuga evaſit, & per ingentia pericula elapſus, ut ipſe* Libro adverſus Franciſcanos *refert, Venetias remeavit, barba depoſita, ne adgnoſceretur, ſtatimque navigavit in Graeciam. Si verum eſt quod* Fabricius *tradit*, Margunium *etiam*

Piſis,

Piſis, & *Pariſiis verſatum eſſe, oportet ut id contigerit antequam Romam proficiſceretur; & forte etiam antequam in Graeciam primum reverteretur. Moratus autem in Melo inſula, donec genae iterum fruticarent, Conſtantinopolin abiit. Ibi rebus Venetis maxime profuit, ac Legato Reipublicae gratiſſimus fuit. Quamobrem, quum in familiaritatem inrepſiſſet Ieremiae II. Pontificis Byzantini, illi per ea tempora utilis fuit, ut ex eius* Libro De Moribus barbarorum &c. *intelligere eſt, cum in iis, quae adverſus Latinos ſcripſit, tum in illis quae ad Tubingenſes reſpondit; quare ad inſulas Cythereas provectus eſt anno, ut diximus MDLXXXV. Cythereas, inquam, non in Cypro, ut perperam* Fabricius *tradit, ſed Cytherorum inſulae Maleae adiacentis, ut in eius Epitaphio legitur. In otio eius inſulae multa compoſuit; quamquam anno* 1590 1591. & 1592. *Venetiis & Patavii verſatus eſt, fugere coactus; uti &* 1601. *Fuit & perelegans Poeta, Cultumque eius induſtriae Graecia debet, cuius Patres aliquot & Scriptores MSS. aut ipſe cudit typis in Miſcellaneis, aut aliis cudendos commiſit, praeſertim* Dav Hoeſchelio, *quocum perpetuum & familiare habuit litterarum commercium, ut comprehendimus ex* Epiſtola VII. XII. & XIII. *ad eundem* Hoeſchelium, *qui anno MDXCII Hymnos novem Anacreonticos* Maximi *noſtri Graece* Lugduni *Batavorum*

rum edidit ; docetque praeter Comnenum Iac. Brukerus *V. C. Item* Demetrius Procopius *tradit eum Cyrilli Lucaris Cretenſis , Patriarchae deinde Conſtantinopolitani , praeceptorem fuiſſe. Eius quoque diſcipulus fuit Metrophanes Critopulus , Hieromonachus & Patriarchalis C P. Protoſyncellus , deinde Patriarcha Alexandrinus , quem* Nic. Comnenus *Graecum Lutheranum adpellat. Par quidem diſcipulorum , hi ſunt , qui Calviniſmi & Lutheraniſmi profeſſione , plus dedecoris , quam laudis , Praeceptori attulerunt. Obiit* Margunius *in Patria Creta , quo ſenex ſeceſſerat, anno MDC II. prope octogenarius , conditusque eſt in templo Deiparae Trimartyros , ubi eius tumulus his Iambicis notabatur.*

Οὐ μαργὸς ἐνθάδ᾽ ὕπνον ὕςατον δρέπει
Ἀνὴρ δὲ θεῖος σωφροσύνης ἔμπλεος
Προςάτης ἄριςος τῆς πρὸς μαλέᾳ
Νήσου κυθήρων μάξιμος μαργούνιος
Ἐὼν θεοπνεύςων μέγα μουσάων κλέος
Γόνος δὲ κρητῶν, ἠδ᾽ εἶλαρ τῆς πίςεως.

Non hic ſtupidus aliquis ſomnum ultimum carpit ;
Sed vir divinus prudentiae plenus ,
Et praeſul optimus , eius , quae ad Maleam iacet ,
Inſulae Cytherorum , Maximus Margunius.

Divi-

Divinitus adflatarum magna Muſarum gloria,
At ſoboles Cretenſium, & propugnaculum fidei.

Laus, qua Margunium ornat Demetrius Procopius, *eſt quae ſequitur:* Μάξιμος ὁ μαργούνιος ἀνὴρ σοφὸς καὶ κατὰ τὴν θύραθεν παιδείαν τῶν ἱερῶν γραφῶν, καὶ τῆς ἐκκλησιαϛικῆς ἱϛορίας ἔμπειρος, δόκιμος καὶ λογογράφος καὶ ποιητὴς *&c.* Maximus Margunius vir doctus etiam exteriores litteras, nec minus Scripturae Sacrae, & Hiſtoriae Eccleſiaſticae peritus, & proſa valens & verſu, &c. Iacobus *autem* Brukerus; *ſaepius a me citatus, non dubitat Margunium inter viros in Graecis litteris principes recenſere. Quod ſi* Nic. Comnenus *eum acrius ob errores contra Romanam Eccleſiam exagitat in* Praenotionibus Myſtagogicis, *doctrinam tamen illius, & eruditionem, eligantiamque, non diffitetur in Hiſtoria Gymnaſii Patavini.*

Multa ſcripſit Margunis, *de quibus ita idem* Demetrius Procopius: τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ τὰ μὲν τύποις ἐκδέδοται, τὰ δὲ σώζεται ἐν χειρογράφοις σχεδίοις· τούτου αἱ πρὸς τὸν Λούκαριν ἐπιϛολαί, καὶ αἱ ἀποκρίσεις αὐτῷ σώζονται χειρόγραφοι ἐν τῇ πληρεϛάτῃ βιβλιοθήκῃ τοῦ ὑψηλοτάτου, καὶ σοφωτάτου ἡγεμόνος πάσης Οὐγγροβλαχίας κυρίου κυρίου Ἰωάννου Νικολάου Ἀλεξάνδρου Μαυροκορδάτου ἐν

Κων-

Κωνςαντίνη πόλει. Ex ſcriptis ipſius, typis alia expreſſa ſunt, alia in manu exaratis chartis adſervantur. Huius exſtant ad Lucarim epiſtolae, & ad has reſponſiones, quae adſervantur manuſcriptae Conſtantinopoli in locupletiſſima Bibliotheca celſiſſimi atque ſapientiſſimi Ducis Hungaro-Walachiae Domini Domini Ioannis Nicolai Alexandri F. Maurocordati.

Scripta vero eius haec eſſe feruntur.

Menologium, & Synaxaria Nicephori Calliſti in Linguam Graecam vernaculam converſa. Haec non eadem eſſe videntur ac Sanctorum Vitae ab eodem Margunio *Graecobarbare redditae, de quibus* Fabricius. Caveus.

Epiſtolae ad Cyrillum Lucarim. Demetrius Procopius.

Notae ad Metaphraſtae Vitas, quae a Nic. Comneno *in* Praenotionibus Myſtagogicis *citantur, qui etiam adlegat eiusdem* Νέον λειμωνάριον

Panegyricus Io. Cantacuzeni in D. Baſilium Latine verſus. Fabricius.

Canones Apoſtolorum, Conciliorum, & Patrum, Graecobarbare redditi cum ſcholiis. Fabricius.

Ioannis Climaci ſcala ſcholiis illuſtrata. Fabricius.

Antirrhetici II. contra Andream Coloſſenſem pro Marco Epheſio. Fabricius.

Libel-

Libellus De traditionibus Eccleſiae. Fabricius.

De Eccleſiaſticis Dogmatibus. Idem.

Dialogus Graeci cum Latino De proceſſione Spiritus Sancti editus Londini anno 1624. *qui oppugnatur ab* Allatio, *& Margunii eſſe negatur*. Fabricius.

Orationes III. ſeu Libri De Proceſſione Spiritus Sancti. Comnenus.

Diſputatio contra Georgium Metochitam. Fabricius.

Adagia antiqua. Fabricius.

Hiſtoria Synodica. Fabricius.

Hymni Anacreontici novem, qui leguntur in corpore Poetarum Graecorum, primum Graece ab Hoeſchelio *editi; & deinde Graece ac Latine a* Conr. Rittershuſio. Fabricius. Demetrius Procopius. Brukerus.

Carmina tria ab Hoeſchelio *pariter edita*. Fabricius.

Sermones quadrageſimales. Fabricius.

Variae Epiſtolae ab Hoeſchelio *variis in locis, & ab* Henr. Savilio *vulgatae*. Fabricius.

Homiliae multae vernacula lingua Graeca ſcriptae, habitaeque in Creta, & Conſtantinopoli. Comnenus. *Neſcio an eaedem ſint cum ſermonibus Quadrageſimalibus*.

Hymni Anacreontici LX. praeter editos ab

ab Hoeſchelio, *aliaque Poemata Iambica, & Heroica*. Comnenus.

Liber adverſus Ieſuitas. Idem.

Liber adverſus Franciſcanos. Idem.

Liber De moribus barbarorum, & Orientalis Eccleſiae Orthodoxia. Idem.

Epicriſes, ſeu Iudicia in Nomocanones. Idem.

Epiſtolae XVI. quarum XIII. nunc edimus: eae ſcriptae ſunt,

Gabrielo Severo Archiepiſcopo Philadelphiae I.

Hadriano Speirae. II.

Meletio Blaſto III. IV V. VI. VII. VIII IX. X. XI. XII. XIII.

Philippo Siminelo. XIV.

Ieremiae II. Patriarchae Conſtantinopolitani eſt XV.

Ieremiae II. Patriarchae & Synodo Conſtantinopolitanae XVI.

Epiſtolae XIX. comprehenſis etiam Epiſtola una Gabrielis Severi, & altera Dionyſii Cateliani Monachi, qui poſt Margunium *Cytherorum Epiſcopum fuiſſe videtur, & Hippolyti Epiſcopi alia, ad* Margunium, *quae apud me MSS. exſtant, olim publici iuris faciendae. Eae ſcriptae ſunt omnes Gabrieli Severo, Hieromonacho, ſex; Archiepiſcopo Philadelpiae, aliae decem.*

Sed quinam in noſtras manus hae Epi- ſtolae-

ſtolae venerunt? Vir ingenio, doctrina, et humanitate, praeſtantiſſimus, cuius, erga litterariam Remp. merita laudem omnem excedunt, & maximum eſt Italiae noſtrae decus & ornamentum, Scipio Maffeius *Marchio Veronenſis, eximiorum operum ſcriptione longe lateque celeberrimus, quum mea circa recentiorum Graecorum res & eccleſias ſtudia intellexiſſet, ut pro ſua ſingulari beneficentia mihi arduae rei difficultate laboranti opem ferret, rediens Roma in Patriam, & Florentia pertranſiens, Codicem manu exaratum Epiſtolarum Graecarum a neoteris Graecis ſcriptarum mihi adtulit, cui et hae XIX.* Margunii *Epſtolae inſertae erant, illae vero XVI. diverſa charta & ſcriptione adiunctae, mihique libentiſſime commodavit donec eas in meum uſum tranſtuliſſem. Latinam interpretationem XIII. modo editis non adieci, quod iniqua temporis ſpatia hanc meam diligentiam excluſerint; eam tamen alio volumine quamprimum praeſtiturus ſum. Harum omnium unam idem clariſſimus* Maffeius *edidit* Tomo XXVI. *Diarii Veneti, ut diximus, Latina ſua eleganti interpretatione adtexta; & alterius locum producit in ſua Verona illuſtrata, ubi agit de Scriptoribus Veronenſibus, in* Matthaeo Giberto. *Hac occaſione cum viro doctiſſimo ſaepius conloquutus ſum, & ex eius ſuaviſſima conſuetudine multa hauſi, eximia omnia, & rem litterariam, doctrinaſque, illu-*

ſtran-

ſtrantia ad miraculum. Vt autem non ignoretur, *quae* Margunius *Hoeſchelio*, *aliiſque viris doctis*, *Graeca ſua*, *aliorumque monumenta ſuppeditavit*, *quatenus colligere potui*, *ea hic commemorabo*.

Hymni Anacreontici iam memorati, *&* *Gregorii Nyſſeni Opuſcula V. manu exarata*, *quorum editoni inſeruit Hoeſchelius* Margunii *Epiſtolas IV. Graece ad ſe ſcriptas*. Brukerus. Fabricius.

Andronici Rhodii Peripatetici περὶ πάθων *libelli apographon*. *Praemittit Hoeſchelius* Margunii *Epiſtolam*. Brukerus.

Nicolai Cabaſilae Oratio in foeneratores. Brukerus.

Matthaei Camariotae compendium Rhetorices. Idem.

Epiſtola Margunii, *quae praefixa eſt libris VI. Ioannis Chryſoſtomi De Sacerdotio*, *editis*. Idem.

S. Maximi Martyris Myſtagogia, *quam etiam Hoeſchelius Graeca Epiſtola Margunio inſcripſit*. Idem.

Epiſtolae Margunii vulgatae ab Hoeſchelio ante Bibliothecam Photii. Fabricius.

Epiſtola una vel plures Margunii praemiſſae editioni Homiliarum VI. Ioannis Chryſoſtomi contra Iudaeos. Brukerus.

Epiſtola, *quae praefixa eſt Dialogo De pro-*

proceſſione Spiritus Sancti, qui falſo ſub Margunii nomine Londini editus eſt anno 1624. *ut* Allatius *obſervat; cuius Dialogi codex forte Margunii fuit. Ex* Fabricio.

Carmina tria Margunii, quae Hoeſchelius *editioni Carminum Graegorii Nazianzeni ſubiunxit*. Fabricius.

Sed quum Hoeſchelius *ad calcem V. opuſculorum Gregorii Nyſſeni recenſeat quae Nyſſeni Opera MSS. Margunius haberet, ea lubet heic recenſere.*

In Sanctum Paſcha Sermo I.

In Placillam.

In Beatitudines, haud integrum.

In Sanctum Ephraem.

Orationes XIII. ad Petrum fratrem ſuum contra Eunomium.

Ad Theophilum Alexandrinum contra Apollinarium.

Orationes VIII. in Eccleſiaſten.

Apologia de Hexaemerone, ad Petrum fratrem.

De Vita Moſis legislatoris, & perfectione ſecundum virtutem.

In ſuam ordinationem.

Oratio Catechetica.

CA-

CATALOGVS EORVM

Qui nobiſcum Societatem inierunt, continuatur & augetur.

* *

C E S E N A E.

Adm. Rev. P. Auguſtinus a Tiberiaco Concionator Generalis ex Ord. Cappuc.

C O R T O N A E.

Vannucci. Illuſtriſs. Dom. Nicolaus.

F L O R E N T I A E.

Cianfogni Rev. Dom. Petrus Nolaſcus S. Th. D. Prot. Apoſt. & Baſilicae Laurentianae Canonicus.
Grifoni. Illuſtriſs. Dom. Hugolinus Eques D. Stephani.
Magnani. Adm. Rev. Dom. Petrus Auguſtinus.
Nardi Illuſtriſs. Dom. Ferdinandus Militiarum R. C. Auditor.
Palchetti. Adm. Rev. Dom. Hippolytus.
Riſtori. Adm. Rev. Dom. Coſmas.
Sacconi. Rev. Dom. Ferdinandus Baſilicae Laurentianae Canonicus.
Torrigiani. Illuſtriſs. Dom. Carolus Marchio.

M O N O E C I.

Vento. Illuſtriſs Dom. Petrus Advocatus.

GE-

G E N E V A E.

Filibert. Perilluſtris Dom. Claudius.

P I S C I A E.

Incontri. Illuſtriſs. & Reverendiſs. Dom. Epiſcopus.
Forti. Illuſtriſs. Dom. Abbas Petrus.

V E N E T I I S.

Paſquali. Perilluſtr. Dom. Ioannes Baptiſta.
Starck. Illuſtriſs. Dom. Ioannes Balthaſſar Sereniſsimi Principis Sax-hilburg. Conſiliarius.

Digitized by Google

ΜΙΧΑΗΛ ΤΟΥ ΓΛΥΚΑ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ.

MICHAELIS GLYCAE EPISTOLAE.

Τῷ αὐτῷ
Ἰωάννῃ τῷ Ἀσπιώτῃ
Ἔτι καὶ τοῦτο ἠπόρηται εἰ ἄρσεν καὶ θῆλυ τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγερθήσονται σώματα.

Λόγος ϛʹ.

Ἐφ' οἷς ἠπόρηκας, ὦ ὁσιώτατε ἄνερ, πῶς ἐκ νεκρῶν ἀναστήσονται τὰ τῶν ἀνθρώ-

θρώ-

Ad eumdem
Ioannem Aſpiotam
Adhuc & hoc quaeritur, an cum maris & feminae diſcrimine, hominum corpora reſurrectura ſint.

Diſputatio VI.

Circa ea, de quibus, vir ſãctiſſime, dubitaſti, quomodo, quaerens, a mortuis

θρώπων λέγων σώματα, καὶ ποίῳ σχήματι· καὶ εἰ ἔστι διαφορὰ ἄρρενός τε καὶ θήλεως, ἀμηχανία καὶ ἡμᾶς οὐ μικρὰ πολὺν ἤδη κατέχει καιρὸν· ἐφ' ᾧ καὶ πρὸς ἰσχύος οὐκ ἔχομεν εὐχερῶς ἐπὶ τούτοις ἀπόκρισιν δοῦναί σοι. Εἰ γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ μέγας ἀθανάσιος, ὁ συναίτης τε θεῖος ἀναστάσιος, ὁ νύσσης θεῖος γρηγόριος, καὶ τῶν ἁγίων ἕτεροι ἐπιλύειν ἐοίκασι τὸ παρά σου σήμερον ἐπαπορούμενον, ἀλλὰ καὶ οὕτως ὀκνήτερον διακείμεθα πρός γε τὸ τὰ τοιαῦτα κατεξετάζειν καὶ ὑπὲρ τῶν τοιούτων μάχεσθαι· τίνος ἕνεκεν, ὅτι παρὰ πᾶσιν σχεδὸν ἀμφιβάλλεται ταῦτα τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἅτε δὴ παραδόσεως ἔξω φέρεσθαι λογιζόμενα· ἀλλ' ἐπει-
δὴ

corpora hominum reſurrectura ſint, & quali figura, & an maſculi & feminae diſcrimen in iis futurum ſit, diu eſt quod haeſitatio non modica, & inopia conſilii, nos torquet, quandoquidem eae nobis vires non ſuppetunt, ut facile tibi ſuper his reſpondere valeamus. Si enim & magnus ipſe *Athanaſius*, & divinus ille *Anaſtaſius* Sinaites, & divinus *Gregorius* Nyſſenus, & Sanctorum reliqui controverſiam, quae hodie a te proponitur, reſolvere videntur, tamen eiuſmodi ſcrutari, & ſuper talibus concurrere pigraremur. Cur? quia fere ab omnibus de his ambigitur, quae extra eccleſiaſticae traditionis fines e-

δὴ καταναγκάζεις τέως ἡμᾶς ἐπὶ μέσου προθῆναί σοι τὰ τῶν διαληφθέντων ἁγίων ῥητὰ, ὡς ἐντεῦθεν ἐπιγνῶναί σε τίς τε ἡ δύναμις αὐτῶν καὶ ὅπως λαμβάνειν αὐτὰ χρή· καὶ τί τὸ συναγόμενον ἐκεῖθεν ἡμῖν, ἰδοὺ καταπεισθεὶς ἔχεις πρὸς τοῦτο καὶ μὴ βουλομένους ἡμᾶς καὶ εἰ βούλῃ πρὸ τῶν ἄλλων αὐτῷ τῷ θειοτάτῳ πρόσχες ἀθανασίῳ. Ἐν γὰρ τοῖς πρὸς ἀντίοχον κεφαλαίοις οὕτω λέγων εὕρηται ὥσπερ ἕνα ἄνθρωπον ἐποίησεν ἀπ' ἀρχῆς ὁ θεὸς, οὕτως ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ πάντες εἷς ἄνθρωπος ἀνιστάμεθα. τουτέστι πᾶσα ἀνθρώπου εἰκὼν ὁμοία ἔσται τότε τῆς τοῦ ἀδὰμ εἰκόνος καὶ πλάσεως καὶ μεγέθους καὶ σχήματος. διὸ οὐκ ἔ-

evagari reputantur. Sed quia nos interim laudatorum Sanctorum dicta in medium tibi proferre cogis, ut quae eorum vis, & quomodo ea accpienda ſint, & quid nos ex illis conligamus, exinde cognoſcas, ecce nos, licet inviti, morem in hoc tibi gerimus. Et, ſi vis, ipſi in primis diviniſſimo *Athanaſio* aurem praebe; in *Capitibus* enim *ad Antiochum* ita dicere deprehenditur: *Quemadmodum Deus ab initio unum tantum hominem fecit, ita in regeneratione unus homo omnes reſurgemus*; hoc eſt cuncta hominis imago ſimilis erit tunc imaginis, & fictionis, & magnitudinis, & figurae A-

στιν ἐν τῇ ἀναστάσει ἄρσεν καὶ θῆλυ, καὶ μικρὸς καὶ μέγας, οὐ μέλας καὶ ξανθὸς, οὐ διάφορα πρόσωπά τε καὶ σχήματα· σαφῶς μὲν οὖν ἐνταῦθα θεῖος οὗτος

dami. Propterea mas & femina, parvus & magnus, niger & flavus, in reſurrectione non erunt, nec facierum figurarumque diſcrimen(1). Heic

(1) Fuerunt nonnulli, qui perperam arbitrati ſunt, nuptias a Deo fuiſſe primis parentibus interdictas, eaſque nomine arboris ſcientiae boni, & mali, ſignificatas, ut *Moſes Bar-Cephas* libro *De Paradiſo*, & *Aben-Ezra*, cuius opinionis meminit *Auguſt. Lib.* XI. *De Geneſ. ad lit.* Nil autem magis ridiculum quam quod *Glycas* probare contendit, primum hominem nullo ſexu creatum fuiſſe, alioque modo, quam coniugali ſatione, genus humanum multiplicandum fuiſſe, ſi Adamus non peccaſſet. Mirabilis *Auguſtinus Lib.* XIV. *de Civit. Dei Capp.* XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. *&* XXVI. multa egregie ac preclare diſputat, unde huius ſententiae falſitatem facile eſt arguere. Nihil eſt enim unde ſuſpicemur indecens fuiſſe innocentibus hominibus coniugali complexu copulari, quum nullum tum libidinis malum, peccato non admiſſo, interventurum fuiſſet. Poterit eruditus lector laudata loca conſulere, nam ipſe prolixitatis metu haec tantum ex *Capite* XXI. adducere contentus ſum. *Abſit itaque ut credamus illos coniuges in Paradiſo conſtitutos per hanc libidinem, de qua erubeſcendo eadem membra texerunt, impleturos fuiſſe, quod in ſua benedictione Deus dixit, Creſcite & multiplicamini, & implete terram. Poſt peccatum quippe orta*

τος ἔδειξεν ἀνήρ. ὡς δοκεῖ τοῖς ἀμάθεσι τέως ἡμῖν· ὅτι διὰ τὸ ἕνα παραχθῆναι καταρχὰς ἄνθρωπον· ἐν ᾧ διαφορὰ σχημάτων οὐκ ἦν· ἀφορῶ δὲ τὰ τῆς ἀναστάσεως πρὸς αὐτὸν ὡς ἤδη προείρηται. τούτου χάριν ἐν τῇ ἀναστάσει διαφορὰ σχημάτων καὶ προσώπων οὐκ ἔστιν· ὅτι δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, καὶ ὅτι ἕνα παρήγαγε κατ᾽ ἀρχὰς ἄνθρωπον ὁ Θεὸς, καὶ ὅτι τὸ θῆλυ διὰ τοῦτο μετὰ ταῦτα εἰσήνεγκε διὰ τὸ τὸν ἀδὰμ ἐμπίπτειν τῆς τε-

ic igitur divinus hic vir perſpicue demonſtravit, ut nobis indoctis videtur, eo quod unus homo a principio productus eſt, in quo figurarum differentia nulla erat; ad illum vero, quae reſurrectionem adtinent, reſpiciunt, ut iam dictum eſt; propterea nullum figurarum & facierum futurum eſſe in reſurrectione diſcrimen. Haec autem ita ſe habere, & unum principio hominem a Deo pro- A 3 du-

orta eſt haec libido: poſt peccatum eam natura non imprudens amiſſa poteſtate, cui corpus ex omni parte ſerviebat, ſenſit, attendit, erubuit, operuit. Illa vero benedictio nuptiarum, ut coniugati creſcerent, & multiplicarentur, & implerent terram, quamvis & in delinquentibus manſerit, tamen antequam delinquerent data eſt, ut cognoſceretur procreationem filiorum ad gloriam connubii, non ad poenam pertinere peccati. Vide omnino alia capita in quibus oſtendit quomodo ſine libidine coniugale opus exerceri poſſet. Vide etiam quae inferius adnotabimus.

τελειότητος ὁ νύσσης θεῖος Γρηγόριος ἀριδηλότερον ἔδειξεν ἐπαπορούμενος ὁ θεῖος οὗτως ἀνὴρ, εἰ κατ᾽ εἰκόνα θεοῦ ὁ ἄνθρωπος ἔκτισαι πῶς ἄρσεν καὶ θῆλυ παράγει αὐτοὺς; πρὸς δὲ καὶ ἐπιλύων τὸ τοιοῦτον ἀπόρημα, ὑπεμφαίνειν ἔοικεν, ὁποίῳ σχήματι ἐγείρονται τὰ ἡμέτερα σώματα. λέγει γὰρ ὅτι τὴν κατὰ τὸ ἄρσεν καὶ θῆλυ διαφορὰν οὐκ ἐξ ἀρχῆς αὐτῆς, ἥνικα δηλαδὴ τὸν πρῶτον ἐκεῖνον παρήγαγεν ἄνθρωπον, ἀλλὰ μετὰ τὴν τῆς εἰκόνος κατασκέυην τελευταῖον ἐπιτεχνᾶται τῷ πλάσματι· ἥ τις οὐ πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλὰ πρὸς αὐτὴν ἄρα τὴν τῶν ἀλόγων φύσιν ἔχει τὴν ὁμοιότητα. διὰ τί δὲ ταῦτα γέγονε καὶ πῶς αὐτῷ βοήθην παρεδί-

ductum fuiſſe, & ideo feminam poſtea invectam, quod Adamus a ſua perfectione excidiſſet, divinus *Gregorius* Nyſſenus manifeſtius oſtendit, dũ ita vir ille divinus dubitat, diſſeritque. *Si ad Dei imaginem homo creatus eſt, quomodo eos maſculum feminamque produxit?* Deinde vero hanc dubitationem reſolvens, qua figura noſtra corpora reſurrectura ſint ſubindicare videtur. Ait enim maris et feminae diſcrimen, non a principio ipſo, quum ſcilicet primus ille homo productus eſt, ſed tandem poſt imaginis conditum opificio ſuperinductum fuiſſe, quod quidem non divinitati, ſed ipſi eſt mutarum pecudum

ἐδίδοτο· καὶ τίνος ἕνεκεν ἡ κατὰ τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ διαφορὰ παρεισήγετο· ἡ καὶ πρὸς τὰ ἄλογα φέρουσα τὴν ὁμοίωσιν, ὁ διαληφθεὶς οὗτος ἀνὴρ ἀριδηλότατά σε διδάξει κατὰ ῥῆμα διεξιὼν οὑτωσί. πλάττων ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον, καθόλου δηλαδὴ φύσιν, τὸ θεοείκελον χρῆμα, οὐ ταῖς κατὰ μικρὸν ἐκαρτέρει προσθήκαις, ἀλλ' ἅμα τῇ αὐτοῦ παραγωγῇ. τὸ ἀνθρώπινον ἅπαν ἑώρα γένος, ὁπόσον ἂν εἴη κατ' ἀριθμόν. ἑώρα δὴ καὶ τὴν γενησομένην μετ' οὐ πολὺ τοῦ ἀνθρώπου παρεκτροπὴν, καὶ ὅτι τῆς ὑψιλῆς ἐκείνης ἐκπεσεῖται καὶ ἰσαγγέλου ζωῆς, ὡς ἂν οὖν μὴ κολοβῶσθαι τὸ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν πλῆθος ἐκπεσὸν ἐκείνου τοῦ πρω-

dum naturae perſimile. Qua vero de cauſa haec facta, et quomodo illi a Deo adiutor datus; & cur maris & feminae diſcrimen, quod quidem ad animalia ratione carentia ſimilitudine accedit, inlatum ſit, laudatus hic vir luculentiſſime te docebit, hiſce iisdem verbis ita diſſertans: *Fingens Deus hominem generaliter ſcilicet naturam, rem Deo ſimilem, non numero paulatim creſcentem eſſe volebat, ſed una cum illius productione omne humanum genus intuebatur, etiam non poſt multum futuram hominis tranſgreſſionem, & e ſublimi illa, & Angelicae aequali vita eum eſſe caſurum.* Ne igitur humanarum animarum multitu-

 do,

πρώτου, καθ' ὃν ἄρα καὶ οἱ ἄγγελοι πρὸς πλῆθος ηὐξήνθησαν, ἐπίνοιαν αὐξήσεως ἐγκατασκευάζει τῇ φύσει κατ' ἄλληλον τοῖς εἰς ἁμαρτίαν καθολισθήσασιν· ἀντὶ τῆς ἀγγελικῆς μεγαλοφυΐας τὸν κτηνώδη καὶ ἄλογον τῆς ἐξ ἀλλήλων διαδοχῆς τρόπον ἐμφυτεύσας τῇ ἀνθρωπότητι· ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἠγνόησεν ὡς προείρηται ὅτι τὸ πλάσμα τῆς πρὸς τοὺς ἀγγέλους ὁμοτιμίας ἀπορρυὲν, τὴν πρὸς τὸ ταπεινὸν κοινονίαν προσοικειώσεται, διὰ τοῦτο παρέμιξέ τι καὶ τοῦ ἀλόγου τῇ ἰδίᾳ εἰκόνι· οὐ γάρ ἐστιν ἐν τῇ θείᾳ καὶ μακαρίᾳ φύσει ἡ κατὰ τὸ ἄρρεν καὶ θῆλυ διαφορά τῆς οὖν

do, quum excidiſſet ab primo illo, ſecundum quem ſimiliter & Angeli in multitudinem excreverant, mutilaretur, curam augmenti naturae illorũm invicem impoſuit, quum in peccatum prolapſi eſſent, pro praeſtanti illa angelica conditione, iumentorum proprium et irrationalem ſucceſſionis ex invicem modum humanae naturae inſerens. Nam quia non ignoravit, ut dictum eſt, ſuum opificium, quum ex illa aequali cum angelis dignitate defluxiſſet, cum humilibus rebus communionem habiturũ eſſe: propterea et propriae imagini (1) aliquid

(1) Homo non eſt imago Dei quoad corpus, ut *Cyrillus* Alexandrinus *contra Anthropomorphitas*, & *Iſido-*

οὖν ἀλόγου κατασκευῆς ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον ἐνεγκὼν τὸ ἰδίωμα, οὐ κατὰ τὸ ὑψηλὸν τῆς κτίσεως ἡμῶν τὸν πλεόνασμον τῷ γένει χαρίζεται. οὐδὲ γὰρ ὅτε τὸν κατ' εἰκόνα παρήγαγε τότε τὴν τοῦ αὐξάνεσθαι καὶ πληθύνεσθαι δύναμιν τῷ ἀνθρώπῳ προσέθηκεν. ἀλλ' ἡνίκα διέκρινε τὴν κατὰ τὸ ἄρρεν καὶ θῆλυ διαφοράν· ὡς εἴγε πρὸς τοῦ ἐπιβαλεῖν τῇ φύσει τὴν τοιαύτην διαφορὰν, αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε ἔλεγεν, οὐκ ἂν τοῦ τοιούτου τῆς γενέσεως εἴδους προσεδεήθημεν δι' οὗ γεννᾶται τὰ ἄλογα· ταυτῆτοι

quid irrationalis admiſcuit. In divina enim et beata natura, nullum eſt maris feminaeque diſcrimen. Is rationalis igitur ſtructurae proprietatem in hominem inferens non ſecundum noſtrae creationis ſublimitatem ſuperabundantiam generi elargitur. Neque enim quum ad imaginem hominem produxit, tunc qua creſceret, et multiplicaretur, virtutem homini adiecit; ſed quum maris et feminae differentiam diſcrevit: Vt ſi antequam tale naturae diſcrimen im-

dorus Peluſiotes, docent; etſi imago Dei alibi ſita etiam in corpus quodammodo redundare cognoſcatur, ut indicat *Auguſtinus*. *Tertullianus* eam *Lib. de Reſurrect. Carn.* in vivacitate reponit. *Auguſtinus Lib.* XII. *De Civ. Dei Cap.* XXIII. in ratione atque intelligentia, ſicuti *Lib.* III. *de Geneſ. ad littteram Cap.* XX. Vide quae adnotavimus ad Epiſtolam XXXII.

τοι καὶ τὴν τοῦ ἀνθρώπου καταθρηνῶν ὁ Δαβὶδ ἀθλιότητα, οἴμοι, ἔλεγεν, ὅτι ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν, οὐ συνῆκε. παρασυνεβλήθη τοῖς ἀνοήτοις κτήνεσι καὶ ὡμοιώθη αὐτοῖς. τὴν γὰρ ζωώδη ταύτην γένεσιν τῇ φύσει παραδεξάμενος διὰ τὴν πρὸς τὸ ὑλῶδες ῥοπὴν κτηνώδης ὄντως γέγονεν ὁ τοῖς ἀγγέλοις πρότερον ὁμότιμος ὤν. ταῦτα μὲν οὖν, ὁσιώτατε, καὶ ὁ Δαμασκηνὸς Ιωάννης ἐπιβεβαιοῦν

animum non deſponderet & haec adducit : *Si vero & facie ad faciem vis proprium virum conſpicere; novi enim te id maxime deſiderare, ſerva ipſi torum ab altero viro intactum, & vitam exhibere ſatage ei aequalem, & omnino in eumdem ibis locum cum ipſo, non ut cognata illius, ſed ut ea quae eamdem prorſus vitam inſtitueris. Si enim Lazarum, ignotus quum eſſet Abrabamo, is in eosdem ſinus ſecum adduxit; multos etiam ab oriente & occidente, ut cum ipſo recumbant, parat converſatio per omnia ſimilis; & te cum honeſto Theraſio reſurrectionis locus excipiet, ſi illa vita ipſum exhibere volueris. Ita & idem cum*

ipſo

μετὰ τοῦ καλοῦ θηρασίου, ὁ τῆς ἀναστάσεως ἐκδέξεται τόπος, ἂν ἐκείνῳ τῷ βίῳ θέλῃς τὸν αὐτὸν ἐπιδέξασθαι· οὕτω καὶ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ κατοικήσεις σκηνὴν, καὶ συναφθῆναι πάλιν αὐτῷ δυνηθεῖς εἰς τοὺς ἀθανάτους ἐκείνους αἰῶνας οὐ ταύτην τὴν τοῦ γάμου συνάφειαν, ἀλλ' ἑτέραν πολλῷ βελτίονα. αὕτη μὲν γὰρ σωμάτων ἐστὶ συμπλοκὴ μόνον· τότε δὲ ψυχῆς ἐστι πρὸς ψυχὴν ἕνωσις ἀκριβεστέρα καὶ ἡδίων πολλῷ καὶ βελτίων· εἰ δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει σιωπᾶν ἡμᾶς ἄμεινον στέργειν τὰ γεγραμμένα καὶ μὴ τἀναντία φρονεῖν τοῖς ὑποφήταις τοῦ πνεύματος· ἵνα μὴ καὶ καθ' ἡμῶν ὁ προφητικὸς ἐξενεχθείη λόγος ὁ λέγων. οὐαὶ οἱ παρ' ἑαυτοῖς σοφοί, καὶ ἐνώπιον αὐτῶν ἐπιστήμονες.

ipſo tabernaculum habitabis, & ſimul coniungi iterum poteris per immortalia illa ſaecula, non hac nuptiarum copula, ſed alia multo meliori. Haec enim corporum tantum eſt complexus; tunc vero animae erit cum anima coniunctio exactior, & multo ſuavior ac praeſtantior. Si vero haec ita habent, ſatius eſt ut taceamus & diligamus quae ſcripta fuerunt, & non contraria ſentiamus Prophetis Spiritus; ne forte & contra nos inferatur Propheticus ſermo qui dicit: *Vae iis, qui ſibi ipſis ſunt ſapientes, & coram ſe periti.*

Quum

Quum tam multa a *Michaele Glyca* de iis, quae ad generalem mortuorum reſurrectionem pertinent, copioſe ac luculente diſſerantur; opportunum forte videatur Diſſertationem quamdam *De Carnis Reſurrectione* a me adhuc adoleſcente, quum me in divina, & philoſophica, re exercerem, elucubratam heic interſerere. In ea enim multa tractantur, quae *Glycam* noſtrum illuſtrare poſſunt, & cum haſce eius *Epiſtolas*, tum eas, quae praecedunt, & quae ſequuturae ſunt, non parum exornare, & exponere. Quid quod de Reſurrectione dogma ex iis eſt, quod interdum ab iis, quos *Eſprits forts* perverſo nomine vulgus adpellat, reiicitur & irridetur; & huius rei ipſe, quum Lutetiae verſarer, teſtis fui. Quare forte non inutiliter haec a me olim diſputata, nunc in publicam lucem proferantur.

Ignotum Ethnicis fere omnibus fuiſſe Reſurrectionis ſacramentum.

CAP. I.

Deus, qui perdit ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobat, abſcondenſque ab iis qui in propriae excellentiae faſtum adſurgunt, myſteria parvulis divina revelat, maximum noſtrae religionis ſacramentum, atque ingens miſerae huius mortalitatis ſolatium, reſurrectionis futurae veritatem, Philoſophorum Academias & Porticus, eorum ſuperbiam merita adlidens punitione caelavit. Nam ipſis, ut ait Apoſtolus, in cogitationibus ſuis evaneſcentibus, obſcuratum eſt cor inſipiens; & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti

ſunt

ſunt ; quare tenebrae lucem illam veritatis , quae Deo illuſtrante humanis idemtidem mentibus intermicat , illuminatque omnem hominem , ſtipata magis atque magis caligine, non comprehenderunt. Nihil tam apud illos prope omnes inauditum , nulliſque conſuetarum diſputationum clamoribus celebratum , quam futurum tamdem ut,noviſſimis mundi temporibus cineribus cadaverum corruptorum in priſtinam humanae ſtructurae coagmentationem a ſua divinitus diſperſione collectis, animae iterum ſuis recens refectis , interpolatiſque, corporibus, mirabili ſimul , atque inſeparabili deinceps coniunctione copulentur. Quamobrem quum Apoſtolus Paulus Athenis lingua , ut arbitror , tonans, fulgurans, permiſcens Graeciam , (elogium ſane Pericli ab Euripide dedicatum , ſed divinae Pauli eloquentiae convenientius) veritatem hanc in celebri illo , & frequenti Areopagitarum Iudicum conventu conſtanter , adfirmateque, praedicaret ; tanta virorum illorum , qui in doctiſſima civitate prudentia ceteris , & eruditione praeſtabant , mentes rei novitate perculſit , ut quidam vaniſſima ſibi , veroque omnino abſimilia, narrari exiſtimantes divinum hominem profana irriſione contemnerent; quidam vero ſtatim novo dogmati ſe accomodare neſcientes , iterum illum audituri dimitterent , ut tradit *Lucas Act. Cap. XVII.* Et certe *Plinius Lib. VIII. Cap. LV.* hominum reſurrectionem inter puerilia deliramenta ac vanitates Democriti turpi a veritate lapſu collocare non dubitat. Hinc illa loquendi formula apud *Virg. Lib. X. Aeneid.*

——*In aeternam clauduntur lumina noctem .*

Ideo *Tertullianus Libro De Praeſcriptionibus* inquiebat: *Et ut carnis reſtitutio negetur, de una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur.*

Qui-

Quibus rationibus ducti reſurrectionem mortuorum veteres Ethnici inficiarentur.

CAP II.

Sed videamus quibus praecipue moti rationibus veteres Ethnicorum Philoſophi vel nullam uſquam de carnis reſurrectione mentionem fecerint, vel ab aliis adſertam pro virili ſemper, praefracteque impugnaverint. Itaque quum plerique ſententiae Platonis inhaererent, quem ſapientiae verticem attigiſſe, atque ipſius Philoſophiae magiſtrum, exiſtimabant, corpora tamquam animarum carceres & ſepulcra, quod idemtidem Plato in ſuis libris ut in *Cratylo*, *Gorgia*, *Phaedone* inſinuat, conſiderabant, quibus illae preſſae miſerabiliter gravarentur. *Noxia* enim; ut Platonicus *Maro* canit;

—— —— —— ——corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra;
Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Reſpiciunt clauſae tenebris, et carcere caeco;

ita ut animarum in corpora deſcenſus earumdem mors a Platonicis dictus ſit, ut apud *Macrobium I. in Som. Scip. C. II.* videre eſt. Quid quod saepius, iuxta eorumdem placita, animae iterum corporibus implicantur humanis, ut poenas ibi ante actae vitae delictorum purgatorias expendant, quemadmodum *Ficinus* noſter *Argumento in IX. de Republ.* diſſertat? Adeoque rationi & probabilitati conſentaneum arbitrati ſunt credere animam corporis prorſus anguſtias exhorrere, terrenaeque concretionis conſortium vel dirae cupiditatis poenitudine tactam, vel miſerae, lamentabiliſque, neceſſitatis odio compulſam, ſtudioſe indeſinenterque refugere. Quare *Porphy-*

phyrius in iis libris, quos *De Regreſſu animae* ſcripſit, crebro praecipit *omne corpus eſſe fugiendum , ut anima poſſit beata permanere cum Deo*, quod tradit *Auguſtinus De Civit. Dei l. 10. c. 29. 30. & l. 22. c. 26.* Noſque ideo Chriſtianae religionis myſteriis initiatos huiuſcemodi philoſophi non verentur irridere , *quod dicimus animae a corpore ſeparationem inter poenas eius eſſe deputandam , quia videlicet eius perfectam beatitudinem tunc illi fieri exiſtimant , quum omni prorſus corpore exſuta , ad Deum ſimplex , & ſola , & quodammodo nuda , redierit* , id quod apud eumdem Hipponenſem Theologum laudati operis *Lib. XIII. Cap. XVI.* videre eſt . Verum enim vero apud nos ſacrorum oraculorum auctoritate ſubnixos exploratiſſimum eſt, atque inconcuſſum , duram mortis in homines, immortales alioquin futuros , neceſſitatem , ex primorum parentum inobedientia , propagata in poſteros inexcuſabilis ſceleris punitione , derivatam . *Sapientiae II. Ad Roman. V.* Sed & *Ariſtoteles De Anima* hac in re a memoratis Philoſophis diſcrepare non videtur ; inquit enim : *Laborioſum autem eſt commiſtum eſſe corpori , non potens abſolvi , & praeterea fugiendum : ſiquidem melius eſt intellectui non cum corpore eſſe , quemadmodum et conſuetum eſt dici , et multis placet .* Quapropter praeclarus poeta *Lucanus* , & univerſae philoſophiae conſultiſſimus , *Libro Pharſaliae VI.* animam magicis excantationibus ab inferis evocatam fingit corpus iterum repetere invitam & reluctantem , *Inviſaque clauſtra timentem Carceris antiqui .* Verum ultra inanis ſapientiae , quae ſtultitia eſt apud Deum , quaeque eſt ſecundum traditionem hominum , ſecundun elementa mundi , & non ſecundum Chri-

ſtum, progredientibus argumentis, homines faſtu turgidi, & quorum ſuperbia ſemper adſcendit, Chriſtianum de reſurrectione dogma novis ſtrophiis cavillationibuſque improbe calumniantur. Obiiciunt igitur terrena corpora corruptionis expertia fieri aeternaque non poſſe, quibus animae copulatae iuxta noſtrorum placita perpetuo aevo fruantur, *ſed terrae, inquiunt, terra reddenda eſt, unde animalium terreſtria ſumta ſunt corpora; ex quo fit inquiunt, ut ea ſit neceſſe diſſolvi, et emori, et eo modo terrae ſtabili ac ſempiternae, unde fuerant ſumta, reſtitui*, quae ſunt verba *Auguſtini Lib. XIII. De Civit. Dei Cap. XVII.* Et certe *Lucretius* ita cecinit:

Cedit item retro de terra quod fuit ante
In terram.

Lucanus autem *Lib. VII.*

——————capit omnia tellus
Quae genuit.

Videmus enim quaecumque nata ſunt, & ex elementorum miſtione generata, in ſua tandem principia reſolvi, nec perpetuo permanere, ſed corruptione, & generatione alternantibus, idemtidem interire, & novas formas adſumere. Eleganter *Ovidius Lib. XV. Metamorphoſeon.*

Non ſpecies ſua cuique manet, rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras,
Nec perit in tanto quidquam (mihi credite) mundo;
Sed variat faciemque novat, naſcique vocatur,
Incipere eſſe aliud, quam quod fuit ante, morique,
Deſinere illud idem, quum ſint huc forſitan illa,
Haec translata illuc.

Ad-

Addunt ſempiternum nihil eſſe poſſe, quod originis habuerit initium, hancque receptam philoſophorum omnium ſuffragiis eſſe ſententiam. Sed & ſi incorruptibilia, & aeterna, terrena corpora fieri poſſent, nihilo tamen minus, inquiunt, gravi denſae concretionis pondere preſſa naturaliter in terrae ima ſubſiderent, nec contra leges, elementorumque momenta, ſublime ferri, & in liquidis aethereiſque caeli plagis conſiſtere, valerent, quae obiectio refertur ab *Auguſtino Lib. XIII. De Civ. Dei Cap. XVIII. et Lib. XXII. Cap. XI*. Quare Plutarchus in Romulo, *Non ſunt*, inquit, *bonorum corpora contra legem naturae una cum animo in caelo collocanda*; cenſetque ideo in caelo locare terram ſtultum eſſe. At hic non conſiſtit acutorum (ſi Deo placet) hominum in Chriſtianae fidei myſteria cavillatio; ultra procurrit, atque irrito conatu ita illa nititur pertinaciter impugnare, *ſcrupoloſiſſime quaerere, et fidem qua credimus reſurrecturam carnem* (ſunt Auguſtini verba *Lib. XXII. Cap. XII. De civitate Dei*, de cuius ſapientiae abundantia tenuitatem noſtram locupletamus) *ita quaerendo aſſolent irridere: utrum foetus abortivi reſurgant, & quoniam Dominus ait: Amen dico vobis capillus capitis veſtri non peribit, utrum ſtatura & robur aequalia futura ſint omnibus, an diverſae corporum quantitates. Si enim aequalitas erit corporum, unde habebunt, quod hic non habuerunt in mole corporis illi abortivi; reſurgent & ipſi, aut ſi non reſurgent, quia nec nati ſunt, ſed effuſi. Eamdem quaeſtionem de parvulis verſant, unde illis menſura corporis, quam nunc defuiſſe videmus, accedat, quum in hac aetate moriuntur. Neque enim dicturi ſumus eos non reſurrecturos, qui non ſolum reſurrectionis capaces ſunt,*

verum etiam regenerationis. Deinde interrogant quemadmodum ipſa aequalitas habitura ſit. Si enim tam magni, & tam longi erunt omnes, quantum fuerunt, quicumque hic fuerunt maximi, atque longiſſimi, non ſolum de parvulis, ſed & de pluribus magnis quaerunt, unde illis acceſſurum ſit, quod hic defuit, ſi hoc quiſque recipiet, quod hic habuit. Si autem quod ait Apoſtolus, occurſuros nos omnes in menſura aetatis plenitudinis Chriſti; & illud alterum, quos praedeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui: ſic intelligendum eſt, ut ſtatura & modus corporis Chriſti omnium, qui in regno eius erunt, humanorum corporum ſit futurus, multis erit, inquiunt, de magnitudine & longitudine corporis detrahendum. Et ubi iam erit, capillus capitis veſtri non peribit, ſi de ipſa corporis quantitate tam multa peribit? Quamvis & de ipſis capillis poſſit inquiri, utrum redeat quidquid tondentibus decidit. Quod ſi rediturum eſt, quis non exhorreat illam deformitatem? nam hoc & de unguibus videtur neceſſario ſequuturum, ut redeat tam multum, quod corporis curatura deſecuit. Et ubi erit decus quod certe maius, quam in iſta eſſe corruptione potuit, in illa iam immortalitate debebit? Si autem non redibit, ergo peribit: quomodo igitur, inquiunt, capillus capitis veſtri non peribit? De macie quoque vel pinguedine ſimiliter diſputant, nam ſi aequales omnes erunt, non utique alii macri, alii pingues erunt. Accedet ergo aliis aliquid, aliis minuetur. Ac per hoc non quod erat recipiendum, ſed alicubi addendum eſt, quod non fuit, & alicubi perdendum, quod fuit. De ipſis etiam corruptionibus & dilapſionibus corporum mortuorum, quum aliud vertatur in pulverem, in auras aliud exhaletur, ſive quos beſtiae, ſive quos ignis, abſumat, naufragio,

vel

vel quibuſcumque aquis ita quidam pereant, ut eorum carnes in humorem putredo diſſolvat, non mediocriter permoventur: atque omnia iſta recolligi in carnem, & redintegrari poſſe non credunt. Confectantur etiam quasdam faeditates & vitia ſive accidant ſive naſcantur, ubi & monſtruoſos partus cum horrore atque irriſione commemorant, & requirunt quaenam cuiusque deformitatis reſurrectio ſit futura. Si enim nihil tale redire in corpus hominis dixerimus, reſponſionem noſtram de locis vulnerum cum quibus Dominum Chriſtum reſurrexiſſe praedicamus, ſe confutaturos eſſe praeſumunt. Sed inter haec omnia quaeſtio illa difficillima proponitur, in cuius carnem reditura ſit caro, qua corpus alterius veſcentis humana viſcera fame compellente nutritur. In carnem quippe converſa eſt eius, qui talibus vixit alimentis, & ea, quae macies oſtenderat, detrimenta ſupplevit. Verum hoc illi redeat homini, cuius caro prius fuit, an illi potius cuius poſtea facta eſt? Ad hoc percontantur ut fidem reſurrectionis illudant, ac ſic animae humanae aut alternantes, ſicut Plato, veras infelicitates, falſaſque promittant beatitudines: aut poſt multas itidem per diverſa corpora revolutiones, aliquando tamen eas, ſicut Porphyrius, finire miſerias, ad eas numquam redire fateantur, non omnes corpus habendo immortale, ſed corpus omne fugiendo. Et huiuſmodi potiſſimum ſophiſmatis adverſus reſurrectionis veritatem Ethnici philoſophi inſurgunt, nec ad illam amplexandam induci potuerunt; quamquam & nonnulla minime inficiarentur, quae vel eam apertiſſime comprobarent, vel adiuvarent vehementer.

Tantum lucis quoque adfulſiſſe Gentilibus, ut reſurrectionem mortuorum aliquo modo admittere non dubitarent; & faterentur quaedam, quae hanc veritatem quammaxime adſtruunt.

CAP. III.

Non adeo tamen caecutierunt Ethnici, nec in tanta noctis obſcuritate verſati ſunt, ut nullus intermicantis luminis fulgor hac in re mentibus quorumdam adfulſerit. Nam & nonnulla ſcriptis demandarunt, quae eos omnino ab hac reſurrectionis credulitate non abhorruiſſe perſuadent, quaeque facile ad nobis adſentiendum viam ipſis praeſtruere, latumque agere limen valent. Et ut fabulas poetarum praeteream, nam, ut *Claudianus de Bello Getico* canit,

Creditur Herculeis lucem renovaſſe lacertis
Femina dilecti fatis impenſa mariti.
Et puerum ſpretae laniatum fraude novercae
Non ſine Circaeis Latonia reddidit herbis.
Cretaque, ſi verax narratur fabula, vidit
Minoum rupto puerum prodire ſepulcro;
Quem ſenior vates avium clamore repertum
Gramine reſtituit: mirae nam munere ſortis
Dulcia mella necem, vitam dedit horridus anguis.

Et quod quidem de Glauco hic dicitur, ita narratur a Palaephato περὶ ἀπίςων Cap. XXVII. περὶ ἑτέρου γλαύκου τοῦ μίνωος, καὶ οὗτος ὁ μῦθος παγγέλοιος, ὡς δὲ τοῦ γλαύκου ἀποθανόντος ἐν τῷ σύμβῳ κατώρυξε τὸν τοῦ χοιράνου πολύειδον, ὃς ἦν ἐκ τοῦ

ἄρ

ἄργους, ὃς ἰδὼν δράκοντα ἑτέρῳ δράκοντι πόαν ἐπιθέντα τεθνεῶτι, καὶ ἀναστήσαντα αὐτόν, καὶ οὕτως τὸ αὐτὸ ποιήσας εἰς τὸν γλαῦκον, ἀνέστησεν. In eorum quoque hiſtoriis memoriae proditum eſt quosdam homines revixiſſe, in luminis oras revocatos. Acilium Auiolam narrat *Valerius Maximus*, quum aliquandiu humi mortuus creditus iacuiſſet, elatum, poſtquam ignis corpus eius corripuit, vivere ſe proclamaſſe. Lucio quoque Lamiae praetorio viro aeque vocem fuiſſe ſuper rogum. Verum forte hi mortui quidem ſunt habiti, revera autem adhuc vivebant, ſed morbi vi in eam ſenſuum alienationem inciderant, ut vita functi crederentur. Non diſſimilia de Ariſtea quodam Proconneſio, & de Alcmena, refert *Plutarchus* in *Romulo*. Ariſteam ſcilicet in fullonis taberna vitam finiſſe, corpuſque eius, quum neceſſarii adeſſent ad id anferendum, ex conſpectu raptum: ac quosdam, qui modo peregre veniebant, adfirmaſſe Ariſteae ſe occurriſſe Crotonem tendenti. Alcmenae vero corpus, quum efferretur, ex oculis ſubductum, & lapidem in lecto fuiſſe inventum. Sed haec minus mirabilia facit id, quod de Hero Pamphilio *Lib. X De Republica* narrat *Plato*: illum quippe ſcribit inter eos, qui in acie ceciderant, decem diebus iacuiſſe, biduoque poſtquam inde ſublatus eſſet, impoſitum rogo revixiſſe, ac mira quaedam tempore mortis viſa narraſſe. Quam quidem de Hero narrationem, hiſtoriam, non fabulam, vult eſſe *Iuſtinus* Platonicus, martyrque Chriſtianus, quod *Marſilius Ficinus* refellere non eſt auſus. *Aurelius Auguſtinus* ſi minus hiſtoriam cenſet, ſed cum Marco Tullio Platonis luſum exiſtimat, certe tamen fabulamento illo reſurrectionis veritatem Numen illud philoſophorum

xere voluiſſe non improbat, & aliud ex Labeone reviviſcentium hominum exemplum adducit: *Nonnulli noſtrum*, inquit, *propter quoddam praeclariſſimum loquendi genus, & propter nonnulla quae veraciter ſenſit, amantes Platonem dicunt eum aliquid ſimile nobis etiam de mortuorum reſurrectione ſenſiſſe. Quod quidem ſic tangit in libris de Republica Tullius, ut eum luſiſſe potius, quam, quod id verum eſſet, adfirmando dicere voluiſſe. Inducit hominem revixiſſe, & narraſſe quaedam, quae Platonicis diſputationibus congruebant. Labeo etiam duos dicit uno die fuiſſe defunctos, & occurriſſe invicem in quodam compito. Deinde ad corpora ſua iuſſos fuiſſe remeare & conſtituiſſe inter ſe amicos ſe eſſe victuros: atque ita eſſe factum donec poſtea morerentur.* Sed ſuperius laudatus *Plutarchus Lib. I. de Anima* apud *Euſebium Lib. XI.* προπαρασκ. memoriae prodidit, Enarchum ſuum σύγχρονον aegrotum tamquam mortuum a medicis relictum fuiſſe; & brevi tempore in ſe ipſum poſtea reductum, dixiſſe ſe vere mortuum fuiſſe, & in corpus iterum reſtitutum, nec ea aegrotatione moriturum; reprehenſoſque vehementer a Domino ſuo eos ſpiritus, qui animam eius duxerunt; ad Nicandam enim miſſos, non ad illum fuiſſe. Nicandas autem coriarius erat, & in palaeſtris non ignobilis, qui eo tempore, quo Enarchus revixit, in maximas incidit febres, ac repente mortuus eſt. Neſcio an huc faciat, quod *Plutarchus* idem *Lib. An ſeni gerenda ſit reſp. & Diogenes Laertius in Epimenide* tradunt, Epimenidem Cretenſem videlicet, adoleſcentem dormitum iviſſe, & in ſenectute a ſomno fuiſſe excitatum, quum perpetuos annos quinquaginta ſeptem alto ſopore victus ſtertiſſet, ut *Laertius* quidem & *Plinius Lib. VII. Cap. LII.* habent; nam *Plutarchus*, & *Varro*

Lib.

Lib. VII. De lingua Latina, quinquaginta tantum annos ſcribunt; *Tertullianus De Anima* quinquaginta prope annos; *Pauſanias* vero in *Atticis*, quadraginta. Quod ſi Auctor Appendicis Proverbiorum Graecorum, ſeptem tantum, *Suidas* autem ſex, produnt; apud eos numeros corruptos eſſe prudenter *Schottus*, & *Menagius*, animadvertunt. Immo *Heſychius*, & *Suidas*, non tantum dormiviſſe tradunt, ſed animam eius a corpore pro lubitu ſeceſſiſſe eo tempore, & ad corpus quoties vellet rediiſſe, quod de Ariſtea Proconneſio, cuius ſuperius meminimus, ex *Plutarcho*, ſcribunt *Herodotus Lib. IV. Apollonius in Hiſtor. Mirab. cap. II. Plinius Lib. VII. Cap. III. Maximus Tyrius Diſſert. XXII. & XXIII. Origenes contra Celſum Lib. I. Heſychius Mileſius*, aliique. *Tertullianus* vero *Libro de Anima* Hermotimum Clazomenium memorat, qui anima in ſomno carebat, quaſi per occaſionem vacaturi nominis proficiſcente de corpore. Quid dicam quod & Endymion ſemper dormiiſſe fertur? Idemque de Claudio Ptolemaeo perhibetur? Cuius rei allegoricas rationes *Olympiodorus* in *Commentariis in Phaedonem Platonis* adfert. Quae quidem mortuorum reſurrectiones quum in gentilium libris deſcriptae reperiantur, iam non video cur divina virtute fieri poſſe negent, ut ii, qui defuncta vita corpora iterum adſumere potuerunt, ut tamen rurſum poſtea morerentur, eadem corpora recipiant, ita ut deinceps ſint omni moriendi neceſſitate ſoluti. Sed quas obiiciunt difficultates infra ſingillatim, Deo favente, diluemus. Repetamus modo veterum dicta ſapientum, quibus utcumque de mortuorum reſurrectione loqui videntur, eorumdemque ſententias recenſeamus, quibus ad tanti ſacramenti veritatem aliqua-

liter adpropinquarunt. Transferenda ſunt igitur quaedam ex *Marſilii Ficini Commentariis* in Librum *De Divinis Nominibus*, Dionyſio Areopagitae falſo tributum, quae propoſito noſtro maxime conducunt. *Reſurrectionem*, inquit, *corporum humanorum divina poteſtate futuram Plato in Regno deſcribit, quam olim Zoroaſter adſeruit. Itaque legimus in Magorum carminibus, quod omnes uſurpavere Platonici, animam noſtram praeter terrenum corpus, habere caeleſte, quo quaſi curru quodam reverſa ſit in caelum. Iſte animas Deo deditas, terrenum quoque corpus terrae tandem non relicturas, ſed cum caeleſti ſuo corpore, id quoque coelo corpus reddituras illuminandum. Quibus in verbis, & reſurrectio corporum, & beatorum ſplendor, adſeritur*. Et quidem *Ficini* verba in mentem revocant, quod *Diogenes Laertius* in *Prooemio* memoriae prodidit ex Theopompi Philippicorum VIII. & Eudemi Rhodii adſertione, Magis ſcilicet revicturos homines, & futuros immortales, adcreditum. Quod ſi eorum credulitas ab Aegyptiorum perſuaſione non differebat, eadem quoque corpora reſumturos arbitrabantur; nam *Herodotus Lib. II. Cap. CXXIII.* ſcribit Aegyptios reſurrectionem credid iſſe, eaque propter tantum ſtudii & diligentiae in cadaveribus adſervandis conlocaſſe. Ab his, ut videtur, ſuam doctrinam hauſit Democritus, de quo ita *Plinius Lib. VIII. Cap. LV. Similis & de adſervandis corporibus hominum, ac reviviſcendi promiſſa a Democrito vanitas, qui non revixit ipſe*. Nec de diſſimili opinione loqui videtur *Aurelius Auguſtinus LXXII. de Civ. Cap.* 28, ubi ex Varrone quorundam refert Genethliacorum de mortuorum reſurrectione ſententiam; cuius verba ſunt: *Mirabilius autem quoddam Mar-*

cus

eus Varro ponit in libris, quos conſcripſit de gente populi Romani, cuius putavi verba ipſa ponenda: Genethliaci quidam ſcripſerunt, inquit, eſſe in renaſcentibus hominibus, quam adpellant palingeneſiam Graeci: hanc ſcripſerunt confici in annis numero quadringentis quadraginta: ut idem corpus & eadem anima, quae fuerant coniuncta in homine aliquando, eadem rurſus redeant in coniunctionem. *Æneas* Platonicus in *Theophraſto*, *Porro*, inquit, *Zoroaſtes fore aliquando tempus, in quo mortuorum omnium futura ſit reſurrectio, praedicit*. *Chryſippus* apud *Lactantium De div. praem. cap.* 23. adfirmat poſtquam vitam finierimus, certis temporum vertiginibus revolutis, in hunc ſtatum, in quo nunc ſumus, reſtitutum iri. Et Seneca *Epiſt.* 36. *Deſinunt iſta*, inquit, *non pereunt; etiam mors quam pertimeſcimus ac recuſamus, intermittit vitam non eripit. Veniet iterum, qui nos in luce reponet, dies; aequo animo debet rediturus exire; obſerva orbem rerum in ſe remeantium. Æſtas abiit, ſed alter illam annus adducit; hiems occidit, referent illam ſui menſes; ſolem nox obruit, ſed ipſam ſtatim dies abiget*. Scio non defuturos, qui reſpondeant de mirabili anni magni revolutione, rerumque omnium ad eumdem ſtatum, exacta illa ſaeculorum intercapedine, reverſione memoratos ſupra philoſophos intelligere; circuitus enim nonnulli temporum induxerunt, *quibus eadem ſemper fuiſſent renovata atque repetita in rerum natura, atque ita deinceps fore ſine ceſſatione* adſeverarunt *volumina venientium praetereuntiumque ſaeculorum, ſive in mundo permanente iſti circuitus fierent, ſive certis intervallis oriens & occidens mundus eadem ſemper quaſi nova, quae tranſacta, & ventura ſunt, exhiberet*,

quae

quae ſunt verba *Auguſtini Lib. XII. De Civit. Dei Cap. XIII.* De quo tamen quoniam alibi tractatu egimus latiori, non libet modo huiuſmodi rei pluſculis immorari. Sed elicere hinc contra adverſarios iuvat argumentum hac potiſſimum ratione conceptum: Si apud vos non tantum vero non eſt abſimile, ſed etiam valde probabile, *ſic eadem temporum temporaliumque rerum volumina repeti, ut verbi gratia, ſicut in iſto ſaeculo Plato philoſophus in urbe Athenienſi, & in ea ſchola, quae Academia dicta eſt, diſcipulos docuit, ita per innumerabilia retro ſaecula multum prolixis quidem intervallis, ſed tamen certis, & idem Plato, & eadem civitas, eademque ſchola, iidemque diſcipuli, repetiti, & per innumerabilia deinde ſaecula repetendi ſint*, ut memoratus ὁ πάνυ inquit: quae nam tanta vobis oboritur difficultas, qui toties homines eosdem per longa quidem ſed certa temporum intervalla in lucem vitamque redituros eſſe praedicatis, ut a credendo ſemel homines divina virtute, ubi tempus a Deo praedeſtinatum advenerit, a mortuis omnes excitatum iri tanto vos ſtupore deterreat? Credite, credite quod minus eſt, minoribuſque obnoxium difficultatibus, & quod eſt creditu abſurdius, vaniſſimam ſcilicet ſaeculorum eorumdem infinities repetitam iterationem, facili negotio falſitatis revincemus. Veſtra quoque mirabilis ſapientia hauſtam ex Pythagorae dictis, Platoniſque auctoritate, animarum tam in humana, quam in ferina, corpora migrationem tenacius amplectitur, mordicuſque defendit anilia paſſim fabulamenta venditans. Quamquam ſi Pythagorae placita, & quae Plato pleriſque in locis adſeruit, emendare libet, ut recte id ſe habere multis eſt viſum, quos puduit ſequi prae-

cepto-

ceptorem, qui tam vana atque portentoſa docuiſſet, & *μετεμψύχωσιν* in bruta allegorice exponere, ut certe *Porphyrius*, aliique Platonicorum, quod *Auguſtinus Lib. X. De Civit. Dei Cap. XXX.* ait, expoſuerunt; iam veſtra deliramenta quidem ridemus, ob inſipientiae tamen vobis detrimenta gratulamur, dum in humana tantum corpora humanas animas redire arbitramini ſive in hoc orbe, ſive in alio, nam, ut *Lucanus* ait, *regit idem ſpiritus artus Orbe alio*. Id quod paſſim docet *Plato*, & in *Phaedone* praeſertim: *Eſt certe*, inquiens, *o Cebes*, *maxime omnium ita ut mihi videtur; ex mortuis reviviſcentes homines fiunt*. Quae quidem hominum in tenebris denſaque caligine agentium ſomnia, invalidi adverſus eos argumenti telum invertens, ita irridet *Auguſtinus Lib. X. De Civit. Dei Cap. XXX. In hominum ſane non ſua, quae dimiſerant, ſed alia corpora redire humanas animas arbitratus eſt* (Porphyrius) *Puduit ſcilicet illud credere; ne mater fortaſſe filium in mulam revoluta vectaret, & non puduit hoc credere, ne revoluta mater in puellam filio forſitan nuberet. Quanto creditur honeſtius, quod ſancti & veraces Angeli docuerunt, quod prophetae Dei ſpiritu acti loquuti ſunt: quod ipſi venturum Salvatorem praemiſſi nuntii praedixerunt: quod miſſi Apoſtoli, qui orbem terrarum Evangelio repleverunt: quanto inquam honeſtius creditur, reverti ſemel animas ad corpora propria, quam reverti toties ad diverſa?* Mirum enim, quod animae tam dira cupidine teneantur in aliena & diverſa corpora revertendi, in ſuum vero, cuius conſortio per longum temporis intervallum laetatae ſunt, & quod peculiari amore dilexerunt, nullo unquam remeandi deſiderio memores capiantur. Regerant forſan putrefactum iam eſſe,

ſe, atque diſſolutum. Cur igitur contendunt iterum ad tarda reverti corpora? quae lucis miſeris tam dira cupido? quumque ea non ſint niſi ipſarum ſepulcra, & carceres, cur non corporibus ſolutae manent? Forſan, quia ita Dei lege & fato decretum eſt? Et cur Dei lege & fato conſtitutum quoque non ſit, ut exacta certa ſaeculorum & temporum ſerie, corpora iterum prima reformentur, rurſumque antiquis compagibus in priſtinam faciem habitumque coagmententur, in quae dulcedine quadam captae, & veteris neceſſitudinis conſortiique recordatione geſtientes, tamquam in patria conſuetaque domicilia ex longa peregrinatione animae revertantur? Hactenus quid Plato contulerit ad reſurrectionis veritatem adſtruendam inſpeximus. Videamus modo quid ad veram reſurrectionis fidem vel Plato, vel Porphyrius, vel Varro, conferre potuerint, ſi opiniones eorum in unam ſententiam conveniſſent, quod totum divino *Auguſtini* ingenio acceptum ferimus ita *Libro XXII. De Civitate Dei Cap. XXVI. & ſequentibus* differentis: *Plato dixit ſine corporibus animas in aeternum eſſe non poſſe. Ideo enim dixit etiam ſapientium animas poſt quamlibet longum tempus tamen ad corpora redituras. Porphyrius autem dixit animam purgatiſſimam quum redierit ad patrem, ad haec mala mundi nunquam eſſe redituram.* Marcus Varro ex Genethliacorum quorundam ſententia, ut ſupra retulimus, ſcriptum reliquit *confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus & eadem anima, quae fuerant coniuncta in homine aliquando, eadem rurſus redeant in coniunctionem.* Qui tres quidem Scriptores eximii id conferunt ad reſurrectionem mortuorum adſtruendam, quod colligit idem *Auguſtinus* inquiens:

Qua-

Quapropter Plato & Porphyrius, vel potius quicumque illos diligunt, & adhuc vivunt, ſi nobis conſentiunt, etiam ſanctas animas ad corpora redituras, ſicut ait Plato, nec tamen ad mala ulla redituras, ſicut ait Porphyrius, ut ex his fiat conſequens quod fides praedicat Chriſtiana, talia corpora recepturas, in quibus ſine ullo malo in aeternum feliciter vivant: adſumant etiam hoc de Varrone, ut ad eadem corpora redeant, in quibus antea fuerunt, & apud eos tota quaeſtio de carnis reſurrectione ſolvetur. Sed quae de Metempſychoſi Pythagoras, & Plato, Aegyptii, aliique, paſſim docuerunt, non parum fidem reſurrectionis adſtruant; nam reſurrectionis quaedam ſpecies eſt, quod & ipſe *Tertullianus*, qui multis Platonem *Libro De Anima* impugnat quod ex mortuis vivos fieri dixit, tamen *Lib. De Reſurrectione Carnis* fateri coactus eſt illis verbis: *Ita ſaeculum reſurrectionem mortuorum, nec quum errat, ignorat*. Quod & *Lactantius Lib. VII. Cap. XXIII.* animadvertit. Quare etſi verum eſſet, quod *Ioannes Clericus* in *Notis ad Philoſophiam Orientalem Th. Stanleii* ſubſpicatur, ubi apud antiquos placitum de reſurrectione, & reviviſcentia, mortuorum occurrit, id ſemper διὰ μετεμψυχώσεως fieri intelligendum eſſe; tamen & iſtuc ipſum non parum dogmati Chriſtiano adſtipulari deprehenderetur, quod & *Th. Burnetus* admittere videtur *Lib. De Statu Mortuorum Cap. VIII.*

Qui-

Quinam ex iis, qui in Ebraeorum vel Chriſtianorum Eccleſia vixerunt, reſurrectionem mortuorum impie inficiati ſunt.

CAP. IV.

Non tamen defuerunt inter illos etiam, quibus verae religionis, & ſacrarum literarum, lumen adfulſit, qui recedentes a Deo, & plus ſapere praeſumentes quam oportet ſapere, certiſſimum reſurrectionis dogma, & expreſſe & definite divinorum oraculorum auctoritate comprobatum, impie non minus quam impudenter inficiarentur. Sadducaei enim, qui inter Ebraeos novam ſectam inſtituerant, mortuorum reſurrectionem apertiſſime denegabant, ut ſcribit *Lucas* 20. 27. & *Matthaeus* 22. 23. in quo errore cum iisdem Samaritani conveniebant. Simon Magus idem noſtrae religionis ſacramentum impugnavit, ut apud *Tillemontium Tom. I.* & *Berninium Hiſt. haereſ. ſaec.* 1. *c.* 1. videre eſt. Hymenaeus, & Philetus, vivo adhuc Apoſtolo Paulo, impie adſerebant ubi de reſurrectione in ſcripturis Sacris ageretur, non de corporea, ſed de ſpiritali, qua a morte peccati ad vitam innocentem reſurgitur, accipiendum eſſe, quod a *Paulo I. Tim. Cap. I.* traditur. Nicolaitae quoque, & Gnoſtici, Cerinthianorumque nonnulli; ſpurciſſimus etiam Carpocrates eumdem cum Simone profano ore evomuit errorem; necnon Baſilides eadem blaſphemaſſe perhibetur, qui a *Nat. Alexandro Hiſtor. Eccleſ. Saecul. I. Diſſertat. XXVI.* egregie ac luculente confutatur, & cum eo alii omnes haeretici. Sed & haereſiarcha Saturninus eodem ſaeculo idem haereſeos virus effudit, ſicut

&

& Valentinus, exitialis inſaniae homines; & Cerdo, & Marcion; item Apelles, Marcoſiani, Aſcondryti, & Archontici, haeretici Valentini ſectae ſequaces; Bardeſanes, Cainiſtae, mortalium omnes perditiſſimi, qui vaniſſima deliramenta, fabulaſque commenti orthodoxae fidei unitatem primis Eccleſiae ſeculis ſcindere ſunt audacter, at incaſſum, adgreſſi; quae quidem omnia late exſequitur *Berninius Hiſtor. Haereſ. Saecul. II. Cap. II. V. VI.* & *Tillemontius Tom. II. Memorabil. Eccleſ.* Baſilius auctor ſectae Bogimilorum haereticorum ſaeculo XII. non aliam eſſe reſurrectionem docebat, niſi poenitentiam, & vitam Evangelicam. *Bern. Hiſt. Haereſ. Sec. XII. Cap. I.* Albigenſes quoque Haeretici carnis reſurrectionem fabulam eſſe dicebant. *Bern. Ibid. Cap. X.* Almericus haereſiarcha pariter negabat corporum reſurrectionem. *Id. Saec. XIII. Cap. I.* Non defuerunt quoque apud Armenos, qui reſurrectionem mortuorum negarent, ut conſtat ex *Benedicti XII. Epiſt. Dogm. num.* 108. Saeculo autem XVI. Petri Richerii, Carmelitae apoſtatae & haeretici, ſequacium quidam carnis reſurrectionem fore inficiati ſunt, id quod *H. Spondanus* ad annum MDLV. & *Baelus* in *Diction.* voce *Petrus Richerius*, memoriae prodiderunt. Sed et eos in hunc cenſum referri poſſe crediderim, qui ſomnia Pythagorae, & Empedoclis, amplexi ſunt, & *μετεμψυχώσεις καὶ μετενσωματώσεις, καὶ παλιγγενεσίας* inter Eccleſiae dogmata, Evangelicam doctrinam corrumpentes, reponere ſtuduerunt. Et quidem Gnoſtici, Baſilides, Carpocratiani, Valentiniani, Marcionitae, metempſychoſin omnes invexerunt, ut apud *Philaſtrium*, *Origenem in Epiſ. ad Roman. Irenaeum*, *Tertullianum De Anima*, *Epi-*

phanium XLII. 12. videre eſt ; & hi omnes , ut ſtatim vidimus , carnis etiam reſurrectionem negabant . Idem forte credendum de Chriſtianis quibusdam Malabaris, quos Sancti Thomae vocant ; nam ex Ethnicorum conſuetudine metempſychoſeos doctrinam acceperant , ut ex *Diamperanae Synodi Seſſione III. Decreto IV.* compertum habemus. Nil aliud opinari licet de Manichaeo ſeu Manete, eiuſque ſectatoribus, qui *μετενσωματώσιν* Empedocleam paſſim docuerunt, ut ex *Actis Marcelli* intelligitur , & *Socrates* etiam *Lib. I. Cap. XXII.* confirmat. Quare mirari ſubit, quod Petrus quidam , Bogomilorum caput, qui Manichaeorum traduces erat , quum ſe ex Iudicum ſententia iam lapidandum videret, ſuis diſcipulis dixerit , ſe die tertia a mortuis ſuſcitatum iri. Quare illi lapidum , quibus is obrutus fuerat , congeriem ſervantes tertia die daemonem ſub lupi imagine inde exire mirati ſunt ; unde Graeci hunc Petrum , Lyco-petron adpellaverunt , quod quidem *Euthymius Zigabenus* memoriae prodidit. Sed Criticus *Beauſobrius Part. II. Hiſtor. Manich. Lib. I. Cap. II.* fabuloſam hanc narrationem iure cenſet ; quare eam non admodum moror. Quum autem Manichaeus, eiuſque ſequaces, Docetae fuerint , hic generatim animadvertendum, Docetas omnes , qui Chriſtum eſſe verum hominem negaverunt, & tantum hominis imaginem & inanem ſpeciem praeſetuliſſe docuerunt , unde & Δοκηταὶ dicti ſunt , etiam eius reſurrectionem inficiatos eſſe ; adeoque hominum reſurrectionem pariter aliquando fore non credidiſſe. Quicumque enim Chriſti reſurrectionem non admiſerunt, etiam ceterorum hominum reſtitutionem reiecerunt , quod recte obſervat laudatus *Beauſobrius* eodem Libro *Cap. IV.* §. 7. Docetarum

ca-

caput fuit Simon, ſi *Theodoreto Prooem. Dialog. I.* credimus, quem ſequuti ſunt Cerdon, & Marcion, & Leucius, & Iulius Caſſianus. Et certe Docetae antiquiſſimi ſunt, eoſque indicat *Ioannes* Apoſtolus *Epiſt. I. Cap. IV.* Sed heic ſeſe obfert difficultas ex *Photio*, qui ſcribit Leucium reſurrectionem quorumdam animalium, non ſecus ac hominum, docuiſſe. Sed eruditus *Beauſobrius* non dubitat quin Photius hac in re falſus ſit, ex vocis *reſurrectio* ambiguo ſenſu apud Manichaeos aeque ac apud Marcionitas. Nam, ut *Epiphanius* tradit, Marcion ψυχῆς ἀνάστασιν εἶναι λέγει καὶ ζωὴν καὶ σωτηρίαν μόνην; ſic & Menander reſurrectionem ſuum baptismum vocabat, quemadmodum alii poenitentiam, & vitam Evangelicam. Quare Leucius nil aliud nomine reſurrectionis intelligebat, quam corporis mortem, aeamque animarum veluti reſurrectionem & vitam conſiderabat. Et eatenus huiuſmodi reſurrectionem tam brutorum, quam hominum, eſſe dicebat, quatenus animas ὁμοουσίους tam in illis quam in his conlocabat, quemadmodum Marcion fecerat; & *Iuſtinus* Martyr olim crediderat, teſte ipſo in *Dialogo cum Tryphone*. Sed & eos commemorare fert animus, qui etſi reſurrectionem mortuorum inficiati non ſunt, tamen in ea exponenda longe a Catholica veritate receſſerunt. Horum agmen ducit *Origenes*, qui de mortuorum reſurrectione peſſime ſenſit, ut conſtat ex *Epiphanio Haereſ. LXIV. Theophilo Alexandrino*, *Hieronymo*, *Auguſtino*, *Iuſtiniano Auguſto*, qui ipſum criminantur quod reſurrectionem e medio ſubſtulerit. Sed revera reſurrectionem corporis voce tenus adſtruxit, carnis inficiatus eſt, ut conſtat ex eodem *Hieronymo Epiſtola ad Pammachium*, *Pamphilo in Apologia*,

& *Methodio* apud *Epiphanium*, & *Photium*; imo ex ipſo *Origene II.* περὶ ἀρχῶν. *Cap. III.* & *Commentariis ad Pſalmum I.* Addidit, illud qualecumque corpus, quod in mundi conſummatione recepturae erant animae, orbiculatum fore, figuram omnium perfectiſſimam, & rerum caeleſtium propriam, novo corpori congruam exiſtimans; cuius rei *Iuſtinianum Auguſtum* teſtem habemus. Et quidem mirari ſubit Origenem, qui Arabas male de animorum aeternitate ſentientes, eoſque una cum corporibus extingui, & cum iiſdem tamdem reſurrecturos dictitantes, in Concilio Arabico XIV. Epiſcoporum praeclare confutaverat, in errorem circa reſurrectionem & ipſum lapſum fuiſſe. De Arabum erroribus ſcripſere *Euſebius*, *Auguſtinus*, *Libellus Synodicus*. Si autem ante Origenem Menandri prolixiorem mentionem non feci, in cauſſa fuit quod hic Baptiſmum ſuum tantum reſurrectionem quamdam adpellabat, eoque immortalitatem aeternamque iuventam, ut diximus, pollicebatur. Syneſium vero Ptolemaidis Epiſcopum referam, qui Chriſtianis myſteriis initiari ſe paſſus eſt, non tamen admiſſo de carnis reſurrectione dogmate, quod deinde recepiſſe non eſt dubitandum, id quod omne apud *Photium Cod. XXVI.* et *Evagrium Lib. I. Cap. XV.* videre eſt. Quamquam videtur carnis reſurrectionem non omnino reieciſſe, ſed alio ſenſu eam accepiſſe, quam vulgus eam exponeret, ut ex eius Epiſtola CV. intelligere eſt. Eutychius quoque Conſtantinopolitanus Epiſcopus circa reſurrectionis placitum erravit; ſcripſit enim corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria futurum impalpabile, ventis aereque ſubtilius, ut ſcribit *Gregorius Magnus Lib. XIV. Moralium*, qui & dialogum, quem cum ipſo

ha-

habuit, refert, & narrat quomodo eum a tanto errore in regiam veritatis viam tamdem reduxerit. Mirabile autem eſt Socinianorum de mortuorum reſurrectione decretum. Aiunt enim reſurrectionem impiorum nullam futuram, ſed in ea tantum impios iudicandos, qui tunc vivi ultimo die deprehendentur, eoſque una cum Diabolo in ignem aeternum detruſum iri; ut apud *Natal. Alexandrum Tom. VIII. Hiſtor. Eccleſ. Saecul. XV. & XVI.* videre eſt. Iudaeorum opinionem amplecti videntur, qui ad iuſtos plerumque, & ad Iſraelitas, reſtringunt reſurrectionem, ut apud *Buxtorfium Synag. Iudaic. Cap. I.* & *Gerardum de Reſurrect. Tom. VIII.* & *Daſſovium* videndum occurrit. Sed & *Thom. Burnetus* ſuo opere *De ſtatu Mortuorum, & Reſurgentium*, in Origenis, & Eutychii errores delabitur Cap. VIII. & IX. negatque corpus in reſurrectione idem futurum, atque illud quod cecidit; imo *inorganicum* & *inconcretum*, ex coeleſti & tenuiſſima materia tantum conſtans, fore, adſeverare non dubitat. Quin & Chiliaſtarum veſtigiis inſiſtens duplicem ſomniat reſurrectionem, primam, in qua cum Chriſto per mille annos in terra vivendum, & in qua *corpus noſtrum erit terreſtre, compoſitumque ad formam hodierni*; ſecundam, in fine *Millennii*, *quum adſcenditur in coelum*, in qua *mutabitur idem corpus in coeleſte, & aethereum*, id quod late diſputat *Cap. X.* eiusdem operis. Contra quos quidem omnes reſurrectionis veritatem adſtruentes ſermonem inſtituere animum induxeramus; ſed mutata ſententia adverſus philoſophos tantum, quorum argumenta Catholicam adſertionem impugnatia primo loco digeſſimus, ſuo proprio enſe confodiendos, digladiari fert animus.

Reſpondetur iis, qui mortuorum Reſurrectionem impugnant, eo quod beatae animae, ut aiunt, corpus omne ſit fugiendum.

CAP. V.

Cum Philoſophis modo certamen eſt nobis, quibus quidem neceſſe erit vel ſe victos propria doctrina fateri, vel ſua dogmata non ſine pudore retractare. Inquit enim *Porphyrius* omne corpus eſſe fugiendum, ut anima poſſit beata permanere cum Deo, quum corpus illius felicitati impedimento eſſe poſſit. Quem ita egregie de more ſuo confutat *Auguſtinus Lib. X. De Civit. Dei Cap.* 29. & eiuſmet propriis armis confodit. *An vero* inquit (de Chriſto loquitur) *quod ipſum corpus morte depoſitum & in melius reſurrectione mutatum, iam incorruptibile atque immortale in ſuperna ſubvexit? Hoc fortaſſe credere recuſatis, invenientes Porphyrium in his libris, ex quibus multa poſui, quos de regreſſu animae ſcripſit, tam crebro praecipere omne corpus eſſe fugiendum, ut anima poſſit beata permanere cum Deo. Sed ipſe potius ita ſentiens corrigendus fuit, praeſertim quum de anima mundi huius viſibilis, & tam ingentis corporeae molis, cum illo tam incredibilia ſapiatis. Platone quippe auctore animal eſſe dicitis mundum, & animal beatiſſimum, quod vultis eſſe ſempiternum. Quomodo ergo nec umquam ſolvetur a corpore, nec umquam carebit beatitudine, ſi ut anima beata ſit, corpus eſt omne fugiendum? Solem quoque iſtum & cetera ſidera non ſolum in libris veſtris corpora eſſe fatemini, quod vobiſcum omnes homines, & conſpi-*

cere

Digitized by Google

cere non cunctantur & dicere, verum etiam altiore ut putatis peritia haec eſſe animalia beatiſſima perhibetis, & cum his corporibus ſempiterna. Quid ergo eſt, quod quum vobis fides Chriſtiana ſuadetur, tunc obliviſcimini, aut ignorare vos fingitis, quod diſputare aut docere ſoleatis quod dicimus? Et alibi, *Lib. XIII. De Civ. Cap.* 13. videlicet: *Sed Philoſophi contra quorum calumnias defendimus Civitatem Dei, hoc eſt eius Eccleſiam, ſapienter ſibi videntur irridere, quod dicimus animae a corpore ſeparationem inter poenas eius eſſe deputandam. Quia vero eius perfectam beatitudinem tunc illi fieri exiſtimant, quum omni prorſus corpore exſuta ad Deum ſimplex & ſola, & quodammodo nuda, redierit. Vbi, ſi nihil quo iſta refelleretur opinio in eorum litteris invenirem, operoſius mihi diſputandum eſſet, quo demonſtrarem non corpus eſſe animae, ſed corruptibile corpus, onerosum: unde illud eſt quod de ſcripturis noſtris in ſuperiore Libro commemoravimus. Corpus enim corruptibile adgravat animam. Addendo utique corruptibile, non qualicumque corpore, ſed quale factum eſt ex peccato conſequente vindicta, animam perhibuit adgravare. Quod etiam ſi non addidiſſet, nihil aliud intelligere deberemus. Sed quum apertiſſime Plato Deos a ſummo Deo factos habere immortalia corpora praedicet, eiſque ipſum Deum, a quo facti ſunt, inducat pro magno beneficio pollicentem, quod in aeternum cum ſuis corporibus permanebunt, nec ab eis ulla morte ſolventur; quid eſt quod iſti ad exagitandam Chriſtianam Fidem fingant ſe neſcire quod ſciunt: aut etiam ſibi repugnantes adverſum ſe ipſos dicere malunt, dum nobis non deſinant contradicere? Nempe Platonis haec verba ſunt, ſicut ea Cicero in Latinum vertit, quibus inducit ſummum*

Deum Deos, quos fecit, adloquentem ac dicentem: Vos, qui ſub mortalitatis fato orti eſtis attendite quorum operum ego parens effectorque ſum. Haec ſunt indiſſolubilia nutu meo, quamquam omne colligatum ſolvi poteſt. Sed quoniam eſtis orti mortales, vos quidem eſſe indiſſolubiles non poteſtis. Nec umquam tamen diſſolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora quam conſilium meum, quod maius eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa quibus eſtis, tunc quum gignebamini, colligati. Ecce Deos Plato dicit, & corporis animaeque colligatione mortales, & tamen immortales Dei, a quo facti ſunt, voluntate atque conſilio. Si ergo animae poena eſt in qualicumque corpore colligari: quid eſt quod eos adloquens Deus tamquam ſolicitos ne forte moriantur, ideſt, diſſolvantur a corpore, de ſua facit immortalitate ſecuros? Non propter eorum naturam, quae ſit compacta, non ſimplex; ſed propter ſuam invictiſſimam voluntatem, qua poteſt facere ut nec orta occidant, nec connexa ſolvantur; ſed incorruptibiliter perſeverent. Et haec quidem repetit idem Doctor *Libro XXII. De Civit. Cap. 26.* & obiectam difficultatem facili negotio, & propriis adverſariorum doctrinis, amolitur.

Reſpondetur iis, qui contendunt corpora in terram reſolvi debere, nec in coelum ob gravitatem poſſe evehi.

CAP. VI.

Incaſſum quoque impetu facto nos impugnant philoſophi, dum contendunt de terra ſumta corpora

in

in terram debere reſolvi, & ei, e qua ſunt accepta, reſtitui. Incaſſum quidem inquam. Eorum enim conatus ita eludit *Auguſtinus Lib. XIII. Cap.* 17. ſtatim laudati operis. *Contendunt etiam iſti*, inquit, *terreſtria corpora ſempiterna eſſe non poſſe, quum ipſam univerſam terram Dei ſui, non quidem ſummi, ſed tamen magni, ideſt totius huius mundi, membrum in medio poſitum & ſempiternum eſſe non dubitent. Quum ergo Deus ille ſummus fecerit eis alterum, quem putant Deum, ideſt iſtum mundum ceteris Diis, qui intra eum ſunt, praeferendum: eum denique exiſtiment eſſe animantem, anima ſua ſicut adſerunt rationali vel intellectuali in tam magna mole corporis eius incluſa: ipſiuſque corporis tamquam membra locis ſuis poſita atque digeſta quatuor conſtituerit elementa, quorum iuncturam, ne unquam Deus eorum tam magnus moriatur, inſolubilem ac ſempiternam velint; quid cauſae eſt ut in corpore maioris animantis tamquam medium membrum aeterna ſit terra, & aliorum animantium terreſtrium corpora, ſi Deus ſicut illud velit, aeterna eſſe non poſſint? Sed terrae, inquiunt, terra reddenda eſt, unde animalium terreſtria ſumta ſunt corpora; ex quo ſit inquiunt ut ea ſit neceſſe diſſolvi, & emori, & eo modo terrae ſtabili ac ſempiternae unde fuerant ſumta reſtitui. Si quis hoc etiam de igne ſimiliter adfirmet, & dicat reddenda eſſe univerſo igni corpora, quae inde ſumta ſunt, ut caeleſtia fierent animalia; nonne immortalitas, quam talibus diis velut Deo ſummo loquente promiſit Plato, tamquam violentia diſputationis huius intercidit? An ibi propterea non fit, quia Deus non vult, cuius voluntatem, ut ait Plato, nulla vis vincit? Quid ergo prohibet ut hoc etiam de terreſtribus corporibus Deus poſſit efficere, quando-*

quidem ut nec ea quae orta ſint occidant, nec ea quae ſunt iuncta ſolvantur, nec ea quae ſunt ex elementis ſumta reddantur, atque ut animae in corporibus conſtitutae nec umquam ea deſerant, & cum eis immortalitate ac ſempiterna beatitudine perfruantur, poſſe deum facere confitetur Plato? Cur ergo non poſſit, ut nec terreſtria moriantur? An Deus non eſt potens quouſque Chriſtani credunt, ſed quouſque Platonici volunt? Hactenus ille. At inquiunt impoſſibile videri corpora terreſtria, quae ex pugnantibus contrariiſque conſtant elementis, plagiſque quatiuntur adſiduis, perpetua poſſe atque aeterna permanere; quandoquidem,

——— quaecumque manent aeterna neceſſe eſt,
Aut quia ſunt ſolido cum corpore, reſpuere ictus,
Nec penetrare pati ſibi quidquam, quod queat arctas
Diſſociare intus parteis, ut materiai
Corpora ſunt, quorum naturam oſtendimus ante.
Aut ideo durare aetatem poſſe per omnem,
Plagarum quia ſunt expertia, ſicut inane 'ſt,
Quod manet intactum, neque ab ictu frangitur bilum:
Aut etiam quia nulla loci ſit copia circum,
Quo quaſi res poſſint diſcedere diſſoluique.
Sicut ſummarum ſumma eſt aeterna: neque extra
Quis locus eſt, quo diſſiliant, neque corpora ſunt, quae
Poſſint incidere, & valida diſſolvere plaga.

Quae quidem *Lucretius Lib. V.* canit. Nullum quippe-

pe nobis talia negotium faceſſunt, parumque de elementorum diſcordia, conflictuque, perenni ſoliciti ſumus, utpote qui minime nos traducamus ambiguos, in aeſtimando quae cuiuſque ſit elementi natura, quam cum altero habeat repugnantiam, exploratiſſimum habentes voluntatem demum ſummi conditoris rei eſſe uniuſcuiuſque naturam. *Quomodo eſt enim*, inquit *Auguſtinus De Civit. L. XXI. c.* 8. *contra naturam quod Dei ſit voluntate: quum voluntas tanti utique conditoris conditae rei cuiuſque natura ſit?* Et haec quidem voluntas etiam illa idcirco efficere poteſt, quae nobis impoſſibilia videntur, unde *Plato*; ſed *Auguſtinum* audiamus Platonis ſententiam referentem, *L. XXII. De Civit. Cap.* 26. *Vbi etiam*, inquit, *illud evertit quod dicunt, quoniam eſt impoſſibile, ideo reſurrectionem carnis non eſſe credendam. Apertiſſime quippe iuxta eumdem philoſophum, ubi diis a ſe factis promiſit Deus non factus immortalitatem, quod impoſſibile eſt ſe dixit eſſe facturum. Sic etiam loquutum narrat Plato. Quoniam eſtis orti inquit, immortales eſſe & diſſolubiles non poteſtis. Non tamen diſſolvemini, neque vos ulla mortis fata periment, nec erunt valentiora, quam conſilium meum, quod maius eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram, quam illa, quibus eſtis colligati. Si non ſolum abſurdi, ſed ſurdi non ſunt, qui haec audiunt: non utique dubitant diis factis ab illo Deo, qui eos fecit, ſecundum Platonem, quod eſt impoſſibile, fuiſſe promiſum.* Quae omnia & illud eluunt obiectum, quo interiturum tamdem eſſe contendunt, quidquid exortus primordia cognoverit. At vana, inquiunt, eſt veſtra de mortuorum reſurrectione credulitas, quandoquidem & falſum eſſe deprehenditur revoca-

torum in vitam hominum corpora in coeleſtes plagas ſidereumque axem, proprio pondere in terram naturaliter depreſſa, ſubvehi poſſe. Quibus ita praeclare reſutando eorum dicta reſpondet laudatus *Auguſtinus De Civ. L. XIII. Cap. 18. Intueantur*, inquit, *paulo attentius pondera ipſa terrena. Si enim ars humana efficit, ut ex metallis, quae in aquis poſita continuo ſubmerguntur, quibusdam modis vaſa fabricata etiam natare poſſint; quanto credibilius & efficacius occultus aliquis modus operationis Dei, cuius omnipotentiſſima voluntate Plato dicit nec orta interire, nec colligata poſſe diſſolvi: quum multo mirabilius incorporea corporeis quam quaecumque corpora corporibus quibuſcumque copulentur, poteſt molibus praeſtare terrenis ut nullo in ima pondere depримantur, ipſiſque animis perfectiſſime beatis ut quamvis terrena tamen incorruptibilia iam corpora ubi volunt ponant, & quo volunt agant, ſitu motuque facillimo? An vero ſi hoc Angeli faciunt, & quaelibet animalia terreſtria rapiant undelibet, conſtituantque ubilibet, aut eos ſine labore non poſſe, aut onera ſentire credendum eſt? Cur ergo ſanctorum perfectos & beatos divino munere ſpiritus ſine ulla difficultate poſſe ferre quo voluerint, & ſiſtere ubi voluerint, ſua corpora non credamus? Nam quum terrenorum corporum, ſicut onera in geſtando ſentire conſuevimus, quanto maior quantitas, tanto maior ſit & gravitas, ita ut plura pondo quam pauciora plus premant: tamen membra ſuae carnis leviora portat anima quum in ſanitate robuſta ſunt, quam in languore quum macra ſunt. Et quum aliis geſtantibus oneroſior ſit ſalvus & validus, quam exilis & morbidus: ipſe tamen ad ſuum corpus movendum atque portandum agilior eſt, quum in bona valetudine*

dine plus habet molis, quam quum in peſte vel in fame minimum roboris. Tantum valet in habendis etiam terrenis corporibus, quamvis adhuc corruptibilibus atque mortalibus, non quantitatis pondus, ſed temperationis modus. Et quis verbis explicet quantum diſtet inter praeſentem quam dicimus ſanitatem, & immortalitatem futuram? Non itaque noſtram fidem redarguant philoſophi de corporum ponderibus. Nolo enim quaerere cur non credant terrenum poſſe eſſe corpus in coelo, quum terra univerſa libretur in nihilo. Fortaſſis enim de ipſo medio mundi loco eo quod in eum coeant quaeque graviora, etiam argumentatio veriſimilior habeatur. Hactenus *Auguſtinus*. Et quoniam de terra, quae pendula medio libratur in aere, mentionem fecit, quamquam id nonnulla explicari poſſe argumentationis veroſimilitudine fateatur, tamen ſi varias philoſophorum ſententias percurrimus, & probabiliſſimae philoſophiae rationibus adquieſcimus, id ipſum non parum ad refellendam profligandamque adverſariorum noſtrorum, orthodoxam fidem pertinaciter oppugnantium, contumaciam conducere videatur. Primum enim non omnes philoſophi conveniunt in eo, ut terram in mundi medio, quod centrum vocant, ſitam eſſe concedant. Sed Pythagorei illam, quum igni mediam mundi ſedem tribuiſſent, ſublimem in coelum ſubſtulerunt, ut planetas & aſtra; & mobilem ratis annuiſque converſionibus cum reliquis ſideribus circumferri dixerunt, quod apud *Ariſtotelem* 2. *de Caelo tex.* 72. & *Plutarchum de plac. L.* 3. *c.* 11. videre eſt. Nullam hi quidem invenere repugnantiam, qua terrae pondus in ſublimibus caeleſtibuſque mundi plagis conſiſtere, & permanere, prohiberetur. Quid Thales Mileſius? Nonne adſeruit ter-

terrae globum aquis ſupernatare, ut auctor *Ariſtoteles de Caelo* 2. *tex.* 78. quum tamen apud omnes exploratiſſimum ſit multo graviorem eſſe terram, quam aquam. Iure eumdem philoſophum redarguit *Ariſtoteles tex.* 79. quod aquam aere ipſo multo ponderoſiorem ad terram fulciendam leviſſimo aeri ſuperimpoſuerit. Sed & Epicurus terram inferiori aeri inniti adfirmat, nulla tamen ſui ponderis vi deprimere illum, atque in inferna delabi; non enim ſatis arbitratur terram in media mundi regione collocari, ad hoc ut quieſcat, neque nitatur inferius.

Terraque ut in media mundi regione quieſcat
Evaneſcere paulatim, & decreſcere pondus
Convenit, atque aliam naturam ſubter habere
Ex ineunte aevo coniunctam, atque uniter aptam
Partibus aeriis mundi, quibus inſita vivit.

ut Epicuri ſententiam exponit, *Lucretius Lib. V. de Rerum natura*; & Epicuro facem praetulerunt Anaximenes, Anaxagoras, & Democritus, ut ex *Ariſtotele* 2. *de Coelo tex.* 81. intelligere eſt. Quicumque vero terram in rerum univerſitatis centro ſitam eſſe contendunt, atque ideo elementorum & corporum omnium infimam cenſeri oportere, quo pacto iis, qui mundum infinitum eſſe dixerunt, reſpondeant, ipſi viderint. Seleucus enim, aliique, mundum infinitum eſſe dixerunt, ut *Plutarchus de Plac. Lib.* 2. *Cap.* 1. tradit. Quapropter nullum medium in illo valet excogitari; medium enim ſemper refertur ad terminum, & aliquod ſemper extremum reſpicit. Quae ratio igitur & cauſa, cur terra graviſſima in medio aere leviſſimo librata conſiſtat immobilis? An ad quorundam veterum portenta, quae recenſet *Seneca* VII.

Nat.

Nat. Quaeſt. Cap. 14. confugient dicentium, Ferri quidem ſemper terram, ſed non adparere an cadat, quia infinitum eſt in quod cadit? Quod & quidam de mundo univerſo auſi ſunt dicere, *ferri ſcilicet per immenſum & cadere quidem, ſed non adparere an cadat; quia praecipitatio eius aeterna eſt, nihil habens noviſſimum in quod incurrat*. At veroſimillimam & paſſim receptam ſententiam Philoſophorum finitum & terminis circumſcriptum mundum adſerentium, ut par eſt, Chriſtianus admittat, & firmiter teneat; terram quoque in mundi medio eſſe ſitam, quod tamen a multis revocatur in dubium, haud aegre concedamus. Quid inde ſequetur? Terram ideo in praeceps ferri non poſſe? minime id profecto. Vellem enim rationem adferrent cur omnia gravia in mundi centrum niti debeant, ibique quieſcere. Quae catena tam firma ibidem talia corpora obſtringat. Quis amor innatus eodem compellat. At inquient, gravia omnia deorſum ferri videntur; ergo ad centrum mundi. Cur, regeram, non ad centrum terrae, & per accidens, ut aiunt, ad mundi medium, quod ſit commune cum centro terrae, ut inverſa ea diſputandi ratione utar, quam uſurpat *Ariſtoteles De Coelo* 2. *tex.* 100. Ratio enim cur gravia in terram ferantur, non eſſe videtur, quia in mundi centrum nitantur; quandoquidem ſi terrae globus alio transferretur palam eſt, quum lapis ex alto decidit, in eum locum, in quo erat terra, ferri non poſſe; neque enim phyſica & realis eſſe poteſt lapidis propenſio in punctum ſpatii, quod non eſt reale & Phyſicum; ſed in terram, ubicumque illa ſit, feretur. Verum non eſt hic huiuſcemodi diſputationi locus, quae curioſos naturae indagatores incaſſum laboran-

tes

tes hucuſque defatigavit. Quum igitur non conſtet quomodo in centro univerſi nullis ſubſulta fundamentis terra immobilis quieſcat, quum ſit graviſſima, neque deorſum feratur; ſed divinae voluntatis potentiae omnino videatur tribuendum, eiuſque aeternae legi, qua unumquodque corpus in eo loco, & eo modo, permanere voluit, in quo primum collocavit, niſi vis extrinſeca accedat, illudque impellat & trudat; vel vires illud moventes immutentur, aut deſtruantur; quid rei eſt, quod adeo verentur ne corpora divinitus in coelum ſublata praecipiti lapſu in inferiora deferantur? At moleſte ingerunt, terram ideo loco non moveri, quod non habeat quo cadat, quocumque enim caderet, in ſuperna caderet, quod eis videtur abſurdum. Quaelibet enim coeli pars eſt terrae ſupera. Sed nos in uſum noſtrum adverſariorum argumenta transferentes, eodem pacto dicimus quaelibet corpora ſublime lata atque in immenſo caeli inani ſubſpenſa, quum in alium locum ferri non patiantur, ſed in eo, quem illis tribuit natura, conſiſtant, tamen ex omni parte caelum ſuperius habere. Nihil enim intereſt, qua diſtantia ex aliqua parte coelum reſpiciant, ad hoc ut ſublime illud adpareat. Imo ſi coeli immenſitatem conſideremus, aequali fere diſtantia, habita eiuſdem immenſitatis ratione, omnia coeleſtia opaca corpora, quae terrae naturam imitari probabiliſſimum eſt, ab eiuſdem extima ſuperficie recedunt. Quare tam exigua differentia efficere non poteſt, ut reſpectu coeli, globus extra centrum mundi ſitus partem habeat inferiorem, & ſuperiorem, ſicuti non habet tellus. Inſuper eſſe locatum extra medium univerſi non efficit, ut in globo pars quaedam inferna, quaedam

dam ſuperna, dici debeat, ſed ad ſummum ut pars una propius, pars altera longius, a coelo recedere dicatur. Quapropter in quacumque coeleſtis inanis parte ſit corpus aliquod collocatum, non poteſt alio ullo pacto decidere, quia vel nullum habet ad medium adpetitum, vel nullam habet inferiorem, in quam decidat, partem. Nam, ut diximus, omnia quae de propenſione ad mundi medium adſeruntur, gratis quidem adſeruntur. Si igitur corpora in coelo ſubſpenſa librari non repugnat in partem nullam decidua, quod quo ferantur non habeant, coelo circumquaque ſuperne exſiſtente; quid rei eſt, quod incredibile videatur, immortalia & incorruptibilia iam effecta hominum corpora in coeleſtibus plagis ſublime divinitus lata poſſe firmiter, & omni exploſo delabendi timore conſiſtere. At habeant etiam inferiorem, in quam ferri poſſint, regionem, non tamen idcirco decident, ſubſidentque in ima. Nam & planetae omnes, & reliquae ſtellae, quae inerrantes, & ſtatariae dicuntur, inferiora haec terrae ſpatia habebunt, in quae nitantur, & conruant; & tamen ſubſpenſa nullum caſum ruinamque reformidant. Obiicient, aſtra vel ex leviſſima, & liquidiſſima conſtare materia, caeloque ipſi aequilibri; vel ſolidis connexiſque ſphaerarum lacunaribus eſſe ſubfixa, quibus ferruminata tenaciter, decidere nullo pacto queunt. Sed quidquid ſit de inerrantibus ſtellis, liquido conſtat planetas denſos, opacos, eſſe prorſus iniqua ſuperficie, montibus arduos, in valles ſubſidentes, in planities extenſos, quique ob craſſitudinem partiumque cohaerentiam, mutuatam a ſole lucem, reflectunt, ut ope Teleſcopii recentiores deprehenderunt Aſtronomi; quod de Luna adriſit

quoque *Plutarcho*, ut videre eſt in eo libro, quem *De ore orbis Lunae* inſcripſit. Quare opus eſt ut ea ſiderum corpora ob ſpiſſitudinem ponderoſiora ſint, quam liquida tenuiſque coeli materia, ſi ulla eſt; denſiora etiam quam aer, qui raritatis cauſa lucem tam large, ut planetae, reflectere poſſe non videtur. Nec tamen in haec ima deprimi ea delabique videmus. Et ne novum inventum, & heri & nudius tertius excogitatum de pondere & gravitate aſtrorum exiſtimetur, praeter id, quod de Luna, loco ſupra laudato, ſcriptum reliquit *Plutarchus*, idem philoſophus *L. II. De placit. Cap.* 13. *&* *cap.* 20. literarum monumentis commendavit, viſum eſſe Thaleti ignita quidem eſſe ſidera, ſed glebulenta. Anaxagoras dixit igneum aetherem ſuae impetu vertiginis ſaxa a terra raptantem, ſuo ipſa igne in ſtellas ſuccendiſſe. Diogenes inviſibiles lapides ſaepenumero coelo deciduos in terra reſtingui perhibet, haud ſecus atque olim in AEgos flumen ſaxeam ſtellam igni ſimilem delapſam. Heraclitus, & Pythagorei, coeleſtes plagas terrenis corporibus, iiſque innumerabilibus, re plent; putant enim unamquamque ſtellam mundum eſſe terram ſuam ambientem, aeremque adeo & aetherem in infinito aethere. At ſi cryſtallinis, ſolidiſque ſphaeris haec ſubfixa ſunt, nil mirum ſi non decidunt. At etiam compertum eſt exactiſſimis aſtronomorum obſervationibus coelum eſſe liquidum, & ſpirabile, item corruptibile, & generationes rerum non excludens, ut ex motu planetarum, cometarum immenſa diſtantia, ſolaribus maculis, ſtellis modo adparentibus, modo evaneſcentibus, mortalium peritiſſimi collegerunt. Poſſunt igitur gravia corpora in coelo conſiſtere libra-

brata atque ſuſpenſa in nihilo. Quod ſi durum ſolidumque coelum admittimus, multo magis aptum erit ad ponderoſa corpora ſubſtinenda ne decidant. Vel enim circumferentia coeli extima, terrea ſit, ut vult Anaximenes, apud *Plutarchum De Placitis L. 2. Cap. 11.* & in modum tecti durata, & alti craſſique corporis, quod atomi congeſtae coacervataeque fecerunt, ut cenſet Artemidorus, prout *Seneca VII. Nat. queſt. Cap.* 13. tradit; vel ſolidum ſit omne coelum, ex aereque conſtans in cryſtalli duritiam ab igne compactum, ut contendit Empedocles, apud *Plutarchum* loco laudato: aut eo magis corpora gravia ſubſtinebit: aut illa erunt coeli materiae aequilibria, & ideo non ſubſident; aut nil repugnabit graviſſima corpora ſublimia exſiſtere atque permanere, dum coelum ipſum quum ſolidum ſit atque compactum, non poteſt non habere multum ponderis & gravitatis, quod *Seneca* expendit *Lib. VII.* citato *Cap. XIV.* quamquam id ex concava coeleſtis camerae figura, & fornice ipſo fieri quis dixerit. Vereor tamen ne noſtri adverſarii animum deſpondeant, & aditum deſperent in coelum; quia ſi tanta duritie eſt ſolidum, nulla parte poterit a craſſis corporibus penetrari. Sed advertant velim, non unum meatum, non unum oſtium patere. Meminerint quaeſo duo oſtia a Platonicis, in Cancro unum, in Aegocerote alterum, conſtitui, per quae patet in coelum remotiſſimum ingreſſus, egreſſuſque ex eodem. Meminerint pariter Ganimedem ab Aquila ad Iovem in coelum ſublatum, quando

Intactum timidis unguibus haeſit onus;

ut nihil dicam de tot diis corpulentis, & bene mutoniatis, a quibus tot peracti concubitus, tot com-

preſſae virgines, tot geniti filii, coenacula maxima coeli, ut cum *Ennio* loquar, inhabitantibus, & ſine lapſus timore circumcurſantibus. Sed ut ad ſeria revertamur, quid mirum ſi etiam in liquido ſpirabilique coelo, ſi minus naturaliter, quod tamen eſt oſtenſum, ſaltem divinitus permanere corpora, & conſiſtere poſſunt; dum videmus adſidue nubes aere ipſo multo graviores, ſublime ferri, atque in ſublimi verſari? At, inquiunt, cur videmus, ſi lapis in altum iaciatur, ſtatim praecipitanter deorſum ferri ad terram, ſi gravia ſurſum permanere poſſunt? Vos forte reſpondebitis cum aliquibus hoc ideo evenire, quod pars ad ſuum totum naturali quadam propenſione feratur, vel ad hunc motum ab effluviis terrae magneticis determinetur. Cur igitur, ſimili modo corpora hominum, quae ſunt ex terra, & terrae partes, vel non ad ſuum totum ferentur, vel ab effluviis terrae magneticis non trahentur? Nos forte regeramus hoc ideo fieri non poſſe, quod, quum corpora extra ſpatium illud, per quod terrae effluvia protenduntur, ſunt collocata, quum naturalis quaedam propenſio ad terram vel nulla in iis ſit, vel ſola ſine effluviis cum efficacia operari non poſſit, tunc non retineant ea corpora maiorem diſpoſitionem revertendi ad terram, quam evadendi in Lunam, aut aliud aſtrum; & ideo extra quodcumque effluvium vel terrae, vel Lunae, vel alterius corporis conſimilis, & naturae non admodum diverſae, conſtituta, immobilia conſiſtent in coelo. Quod vel ſenſiſſe potuit Anaxagoras, dum ſtellas dixit ſaxa coeleſtis impetu vertiginis a terra raptata atque igne ſuccenſa; vel ſi credidit eodem impetu ſublimia ſubſtineri, atque ſubſpendi; certe tamen eſt aliqua vis, quae etiam naturaliter

gra-

gravia in aethereis regionibus poſſit continere atque librare. Quod ſi plauſibiliorem philoſophandi methodum, quam magnus *Iſ. Neuutonus* invexit, ſequi volumus, quum exploratum ſit corpora quaeque in ſe mutuo gravitare, & alterum ab altero invicem attrahi, atque ea in ſe agere; tum corpus ſublime, & a terra magis remotum, a quocumque alio coeleſti corpore, aut ſidere, ut Iove vel Saturno, adtrahetur potius, & in illud aget; non autem in terram. Et inſuper, quum vis gravitatis corporum recedendo a centro telluris, decreſcat in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum, ſi fieri poſſet ut nulla alia corpora per inane coeli ſpatium diſſeminata eſſent, corpus longiſſime a terra in coelum ſublatum talem ſuae gravitatis diminutionem reſpectu terrae pateretur, ut vix ſenſibilis illa foret; quare vix conciperetur, quomodo alia vi etiam minima per inane illud ſubſtineri non poſſet, puta ſi motu etiam tranſverſo ageretur, licet pigro admodum lentoque. Quod ſi coelum eſſet ſolidum, corpora ei propiora facta in illud tenderent, non autem in terram. Si autem liquidum eſt, in alia coeleſtia corpora corpus evectum aget, quibus magis adpropinquat, vel quae maiorem adtrahendi vim habent ob magnitudinem molis. Itaque ſemper, etiam naturaliter, corpus ſublime latum, & a terra longiſſime recedens, in coeleſtibus regionibus conſiſtere poterit. Quanto igitur magis divina virtus, atque ſupremi conditoris omnipotentiſſima voluntas id facere poterit? Philoſophi quidam haud ignobiles exiſtimarunt Cometas exhalationes eſſe terreſtres extra magneticum terrae effluvium in altiſſima coeli ſpatia vi turbinis alicuius, vel alia, ſublatas, quae vel ſuccendantur, & du-

rent, donec igne omnis eorum materia fuerit abſumta; vel ſolis lumen accipientes & reflectentes ſeſe hominum adſpectui manifeſtent. Et ea ratione ibi diutius commorari, neque deorſum cadere in terram, quod extra eius effluvia ſint poſiti. Opinio quidem probabiliter falſa, & quae minus utiliter a *Ioſ. Papa* Medico Florentino, & Piſano Profeſſore, dudum ſcriptis editis Reip. Litterariae obtruſa fuit; ſed quae tamen demonſtrat, non adeo abſonum videri aliquod corpus a terra recedere & in eam amplius non tendere, ut non fuerint quidam etiam minus exactam & probabilem philoſophiam profitentes, qui id fieri poſſe iudicarint. In praeſens enim admodum veroſimile videtur, Cometas, ſidera eſſe ſeu planetas, & in orbitis ellipticis admodum excentricis moveri, ita ut inadſpicui ſint, quando a ſole remotiorem orbitae partem occupant; quod ex quorumdam periodis ſatis regularibus deducitur; & ex obſervationibus conſtat, quosdam portiones ellipſium valde excentricarum, in quarum loco centrum ſolis erat, motu ſuo deſcripſiſſe. Eorum autem periodis obſervandis non ſine laude incubuit doctiſſimus *Iac. Bernoullus*; ipſiusque eſt egregium opus, quod inſcribitur: *Conamen novi Syſtematis Cometarum, pro motu eorum ſub calculum revocando, et adparitionibus praedicendis*. At quomodo, inquiunt, gravia corpora ſublime ferantur, & ſubvehantur ad coelum, quum aer, & ignis, ſi is ſupra aerem reperitur, multo ſint quam ipſa leviores? Importuna poſtulatio. Vident vi ventorum terrenas exhalationes in editiorem coeli partem tolli poſſe exiſtimare philoſophos, ſed quid exhalationes dico? ſaxa ipſa a coeli vertigine raptari, ut ſtellae evadant, ut praedicavit Anaxagoras; humi-
dos

dos vapores, quum certum ſit aere ipſo eſſe graviores, compertum eſt aſcendere ſurſum; lapides ipſos & ſaxa, & graviſſima quaeque, ſi Hiſtoriis fides eſt adhibenda, ſublime lata in pluviam decidiſſe; & verentur ne aliqua vis non reperiatur, quae illa corpora ſubvehat, & in coeleſtes ſedes, ubi aeternum manebunt, quodammodo manuducat. Ille quidem Deus omnipotens, qui facultatem variam & aſcendendi & ſubſidendi dedit elementis, & vim tribuit coeleſti vertigini, & turbinibus, atque procellis, ut gravia quaeque in altum rapiant, atque compellant; ille idem, & levitatem infereret corporibus, ſi ita ſibi placeret; vel pondus adiiceret elementis, aut impetum, & neceſſariam actionem rebus a ſe creatis tribueret ad ſubvectandum. Et haec quidem in philoſophorum confutationem hactenus diſputata ſufficiant, ut brevitati conſulamus; nam quamplurima alia poſſem adducere, quibus adverſariorum obiecta magis atque magis infirmarentur non ſolum, verum etiam funditus penituſque deſtruerentur. At operi ſupremam manum admoveat *Auguſtinus L. XXII. De Civit. Dei Cap. XI.* illudque ad umbilicum deducat: *Contra quod*, inquit, *magnum Dei donum, ratiocinatores iſti, quorum cogitationes dominus novit, quoniam vanae ſunt, de ponderibus elementorum argumentantur: quoniam ſcilicet magiſtro Platone didicerunt, mundi duo corpora maxima atque poſtrema, duobus mediis aere ſcilicet, & aqua eſſe copulata atque coniuncta. Ac per hoc inquiunt, quoniam terra ab hinc ſurſum verſus eſt prima, ſecunda aqua ſuper terram, tertius aer ſuper aquam, quartum ſuper aera coelum, non poteſt eſſe terrenum corpus in coelo. Momentis enim propriis, ut ordinem ſuum teneant, ſingula elemen-*

ta librantur. Ecce qualibus argumentis omnipotentiae Dei humana contradicit infirmitas, quantum poſſidet vanitas. Quid ergo faciunt in aere terrena tot corpora, quum a terra ſit aer tertius, niſi forte, qui per plumarum & pennarum levitatem donavit avium terrenis corporibus, ut portentur in aere, immortalibus factis corporibus hominum non poterit donare virtutem, qua etiam in ſummo coelo valeant habitare? Animalia quoque terrena, quae volare non poſſunt in quibus homines ſunt, ſicut ſub aqua piſces, qui ſunt aquarum animalia, ita ſub terra vivere debuerunt. Cur ergo ſaltem non de ſecundo, ideſt, de aquis, ſed de elemento tertio terrenum animal carpit hanc vitam? Quare quum pertineat ad terram, in ſecundo, quae ſuper terram eſt, elemento vivere ſi cogatur, continuo ſuffocatur, & ut vivat, vivit in tertio? An erat hic ordo elementorum, vel potius non in natura rerum, ſed in iſtorum argumentationibus deficit? Omitto dicere quod iam in tertiodecimo libro dixi, quam multa gravia terrena ſint corpora, ſicut plumbum, & formam tamen ab artifice accipiant, qua natare valeant ſuper aquam, & ut accipiat qualitatem corpus humanum, qua ferri in coelum & eſſe poſſit in coelo, omnipotenti artifici contradicitur? Iam vero contra illud quod iam dixi ſuperius, etiam iſtum conſiderantes atque tractantes elementorum ordinem, quo confidunt, non inveniunt omnimodo quod dicant. Sic eſt enim ſurſum verſus terra prima, aqua ſecunda, tertius aer, quartum coelum, ut ſuper omnia ſit animae natura. Nam & Ariſtotiles quintum corpus eam dixit eſſe, & Plato nullum. Si quintum eſſet, certe ſuperius eſſet ceteris. Quum vero nullum eſt, multo magis ſuperat omnia. In terreno ergo quid facit corpore? In hac mole

quid

quid agit ſubtilior omnibus? In hoc pondere quid agit levior omnibus? In hac tarditate quid agit celerior omnibus? Ita ne per huius tam excellentis naturae meritum non poterit effici ut corpus eius levetur in coelum, & quum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorſum, aliquo modo & levare ſurſum terrena corpora non valebunt? Iam ſi ad eorum miracula veniamus, quae facta a diis ſuis opponunt martyribus noſtris, nonne etiam ipſa pro nobis facere, & nobis reperientur omnino proficere? Nam inter magna miracula deorſum ſuorum profecto magnum illud eſt, quod Varro commemorat: Veſtalem Virginem, quum prericlitaretur falſa ſubſpicione de ſtupro, cribrum impleſſe aqua de Tiberi, & ad ſuos iudices nulla eius parte ſtillante portaſſe. Quis aquae pondus ſupra cribrum tenuit? Quis tot cavernis patentibus nihil inde in terram cadere permiſit? Reſponſuri ſunt: Aliquis Deus, vel aliquis Daemon. Si Deus: nunquid maior eſt Deo, qui fecit hunc mundum? Si Daemon, nunquid potentior eſt Angelo, qui Deo ſeruit, a quo factus eſt mundus? Si ergo Deus minor, vel Angelus, vel Daemon potuit pondus humidi elementi ſic ſuſpendere, ut aquarum videatur mutata fuiſſe natura: ita ne Deus omnipotens, qui ipſa creavit elementa terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans ſpiritus? Deinde quum aerem medium ponant inter ignem deſuper, & aquam ſubter, quid eſt quod eum inter aquam & terram ſaepe invenimus? Quid enim volunt eſſe nubes aquoſas, inter quas & maria aer medius invenitur. Quonam quaeſo elementorum pondere atque ordine efficitur, ut torrentes violentiſſimi atque undoſiſſimi, antequam ſub aere

in

in terris currant, ſuper aera in nubibus pendeant? Cur denique aer eſt medius inter ſumma coeli & ima terrarum, quaquaverſum orbis extenditur, ſi locus eius inter coelum & aquas, ſicut aquarum inter ipſum & terras, eſt conſtitutus. Poſtremo ſi ita eſt elementorum ordo diſpoſitus, ut ſecundum Platonem duobus mediis, ideſt aere & aqua, duo extrema, ideſt ignis & terra iungantur, caelique obtineat ille ſummum locum, hoc autem imi velut fundaminis mundi, & ideo in coelo eſſe non poteſt terra, cur eſt ipſe ignis in terra? Secundum hanc quippe rationem, ita iſta duo elementa in locis propriis imo, ac ſummo, terra & ignis eſſe debuerunt, ut quemadmodum nolunt in ſummo eſſe poſſe quod imi eſt, ita nec in imo poſſet eſſe quod ſummi eſt. Sicut ergo nullam putant eſſe vel futuram eſſe particulam terrae in coelo, ita nullam particulam videre debuimus ignis in terra. Nunc vero non ſolum in terris, verum etiam ſub terris ita eſt, ut eum eructent vertices montium: propter quod in uſibus hominum & eſſe ignem in terra, & eum naſci videmus ex terra; quandoquidem & de lignis & de lapidibus naſcitur, quae ſunt corpora ſine dubitatione terrena. Sed ille inquiunt ignis eſt tranquillus, purus, innoxius, ſempiternus. Iſte autem turbidus, fumans, corruptibilis, antequam corruptor, non tamen corrumpit montes in quibus iugiter aeſtuat cavernaſque terrarum. Verum eſto: ſit illi iſte diſſimilis, ut terrenis habitationibus congruat. Cur ergo nolunt ut credamus naturam corporum terrenorum aliquando circorruptibilem factam coelo convenientem futuram, ſicut nunc ignis corruptibilis his convenit terris? Nihil igitur adferunt ex ponderibus atque ordine elementorum, unde omnipotenti Deo, quominus faciat corpora

pora

pora noſtra talia , ut etiam in coelo poſſint habitare praeſcribant. Hactenus *Auguſtinus*.

Reſpondetur iis , qui de abortivis , infantibus , pumilionibus , gigantibus , nobis quaedam tamquam abſurda in reſurrectione mortuorum obiiciunt.

Cap. VII.

Aurelius Auguſtinus , qui hactenus mirabili ſua ſapientia, & excellenti facundia, adverſariorum noſtrorum machinamenta , quibus contra nos impetum facere adgrediebantur , egregie feliciterque deſtruxit , reliquos eorumdem conatus languidiores quidem , quam primos, at cavillationum ſtrophiarumque plenos, facili negotio irritos reddet. Obiicientibus enim , ſi omnes aequali ſtaturae modulo ſunt reſurrecturi , unde abortivis , & infantibus , pumilionibuſque in reſurrectione acceſſurum ſit , quod hic defuit; quandoquidem unuſquiſque in reſurrectione recipiet , quod hic habuit ; ita reſpondet , reſponſoque difficultatem amolitur, *Lib. XXII. de Civit. Cap.* 13. *Ad haec ergo* , inquit, *quae ab eorum parte contraria me digerente mihi videntur oppoſita miſericordia Dei nixibus meis opem ferente reſpondeam. Abortivos foetus , qui quum iam vixiſſent in utero ibi ſunt mortui , reſurrecturos , ut adfirmare ita negare non adeo , quamvis non videam quomodo ad eos non pertineat reſurrectio mortuorum , ſi non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui reſurgent, & erunt aliquae humanae animae ſine corporibus in aeternum , quae cor-*

corpora humana quamvis inter viſcera materna geſtarunt : aut ſi omnes humanae animae recipiunt reſurgentia corpora ſua, quae habuerunt ubicumque viventia, ac morientia reliquerunt, non invenio quemadmodum dicam ad reſurrectionem non pertinere mortuorum, quoſcumque mortuos etiam in uteris matrum. Sed utrumlibet de his quiſque ſentiat, quod de iam matris infantibus dixerimus, hoc etiam de illis intelligendum eſt, ſi reſurgent. Et Capite XIV. ſcribit : *Quid ergo de infantibus dicturi ſumus, niſi quia et in ea reſurrecturi ſunt corporis exiguitate qua mortui, ſed quod eis tardius acceſſurum erat tempore, hoc ſunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In ſententia quippe Domini, ubi ait : Capillus capitis veſtri non peribit, dictum eſt non defuturum eſſe quod fuit, non autem negatum eſt adfuturum eſſe quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas ſui corporis, profecto quippe infanti deeſt utique perfectio magnitudinis corporalis, quae quum acceſſerit, iam ſtatura longior eſſe non poſſit. Hunc perfectionis modum ſic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque naſcantur, ſed habent in ratione non mole, ſicut ipſa membra omnia iam ſunt latenter in ſemine, quum etiam natis nonnulla adhuc deſint, ſicut dentes, & ſi quid eiuſmodi. In qua ratione uniuſcuiuſque materia indita corpori iam quodammodo, ut ita dicam, innatum eſſe videtur quod nondum eſt, imo quod latet, ſed acceſſu temporis erit, vel potius adparebit. In hoc ergo infans iam brevis aut longus eſt, quod brevis longuſque futurus eſt. Secundum hanc rationem profecto in reſurrectione corporis detrimenta corporis non timemus, quia & ſi aequalitas futura eſſet omnium, ita ut omnes uſque ad Giganteas magnitudines perveni-*

venirent, nec illi qui maximi fuerunt minus haberent aliquid in natura, quod eis contra ſententiam Chriſti periret, qui dixit, nec capillum capitis eſſe periturum, creatori utique, qui creavit cuncta de nihilo, quomodo deeſſe poſſet unde adderet, quod addendum eſſe mirus artifex noſceret? Ita *Auguſtinus*, qui ſequentibus capitibus ſolvit obiectum de aequo omnium ſtaturae modulo, & de ſimilitudine imaginis filii Dei, ita inquiens; *Si utique Chriſtus in ea menſura corporis, in qua mortuus eſt, reſurrexit, nefas eſt dicere quum reſurrectionis omnium tempus venerit, acceſſuram corpori eius eam magnitudinem, quam non habuit, quando in ea diſcipulis, in qua illis notus erat, adparuit, ut longiſſimis fieri poſſit aequalis. Si autem dixerimus ad dominici corporis modum etiam quorumcumque corpora maiora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, quum ipſe nec capillum periturum eſſe promiſerit. Reſtat ergo ut ſuam recipiat quiſque menſuram, quam vel habuit in iuventute etiam ſi ſenex eſt mortuus, vel fuerat habiturus ſi ante eſt defunctus. Atque illud quod commemoravit Apoſtolus de menſura aetatis plenitudinis Chriſti, aut propter aliud intelligamus dictum eſſe, ideſt ut illi capiti in populis Chriſtianis accedente omnium perfectione membrorum aetatis eius menſura compleatur; aut ſi hoc de reſurrectione corporum dictum eſt, ſic accipiamus dictum ut nec ultra nec infra iuvenilem formam reſurgant corpora mortuorum, ſed in ea aetate & robore uſque ad quam hic Chriſtum perveniſſe cognovimus. Circa triginta quippe annos definierunt eſſe etiam ſaeculi huius doctiſſimi homines iuventutem, quae quum fuerit proprio ſpatio terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere gravioris ac ſenilis aetatis: & ideo non eſſe dictum in menſuram corporis*

poris

corporis vel in menſuram naturae, ſed in menſuram aetatis plenitudinis Chriſti. Illud etiam quod ait praedeſtinatos fieri conformes imagini filii Dei, poteſt & ſecundum interiorem hominem intelligi: unde nobis alio loco dixit: Nolite conformari huic ſaeculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri. Vbi ergo reformamur ne conformemur huic ſaeculo, ibi conformamur Dei filio. Poteſt & ſic accipi ut quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes, quod quidem & ad ipſam reſurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis qua forma reſurrectura ſint corpora ſumus admoniti, ſicut illa menſura, ita & iſta conformatio non quantitatis intelligenda eſt, ſed aetatis. Reſurgent itaque omnes tam magni corpore, quam vel erant vel futuri erant iuvenili aetate, quamvis nihil oberit etiam ſi erit infantilis vel ſenilis corporis forma, ubi nec mentis nec ipſius corporis ulla remanebit infirmitas. Vnde etiam ſi quis eo corporis modo in quo defunctus eſt reſurrecturum unumquemque contendit, non eſt cum illo laborioſa contradictione pugnandum. Haec ille.

Reſpondet Auguſtinus iis, qui de reſectis capillis, & unguibus opponunt, deque macie & pinguedine.

CAP. VIII.

Quid iam reſpondeam da capillis atque unguibus? (ſunt *Auguſtini* verba *L. XXII. de Civ. Dei Cap.* 19.) *Semel quippe intellecto nihil periturum eſſe de corpore, ut deforme nihil ſit in corpore, ſimul intel-*

telligitur ea, quae formae factura fuerunt enormitatem maſſae, ipſi acceſſura eſſe, non locis in quibus membrorum forma turpetur: velut ſi de limo vas fieret, quod rurſus in eumdem limum redactum totum de toto iterum fieret, non eſſet neceſſe ut illa pars limi quae in anſa fuerat, ad anſam rediret; aut quae fundum fecerat ipſa rurſus faceret fundum: dum tamen totum reverteretur in totum: idem totus ille limus in totum vas nulla ſui perdita parte remearet. Quapropter ſi capilli toties tonſi, unguesve defecti, ad ſua loca deformiter redeunt, nec tamen cuique reſurgenti peribunt, quia in eamdem carnem ut quemcumque ibi locum corporis teneant, ſervata partium congruentia materiae mutabilitate vertentur. Quamvis quod ait Dominus, capillus capitis veſtri non peribit non de longitudine, ſed de numero capillorum dictum multo aptius poſſit intelligi. Unde & alibi dicit: Capilli capitis veſtri numerati ſunt. Neque hoc ideo dixerim quod aliquid exiſtimem corporis cuique periturum quod naturaliter inerat, ſed quod deforme natum fuerat, non utique ob aliud, niſi ut hinc quoque oſtenderetur quam ſit paenalis conditio iſta mortalium, ſic eſſe rediturum, ut ſervata integritate ſubſtantiae ſola ſubſtantiae deformitas pereat. Si enim ſtatuam poteſt artifex homo, quam propter aliquam cauſam deformem fecerat, conflare & pulcerrimam reddere, ita ut nihil inde ſubſtantiae, ſed ſola deformitas pereat, ac ſi quid in illa figura priore indecenter exſtabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto unde fecerat amputare atque ſeparare, ſed ita conſpergere univerſo atque miſcere, ut nec faeditatem faciat nec minuat quantitatem, quid de omnipotente artifice ſentiendum eſt? Ergo ne potuerit quaſque deformitates humanarum

rum

rum corporum non modo uſitatas, verum etiam raras, atque monſtruoſas; quae huic miſerae vitae congruunt, abhorrent autem ab illa futura faelicitate ſanctorum, ſic auferre aut perdere, ut quaecumque eorum fuerunt, & ſi naturalia, tamen indecora excrementa ſubſtantiae corporalis, nulla eius diminutione tollantur. Ac per hoc non eſt macris pinguibuſque metuendum, ne ibi etiam tales ſint, quales ſi poſſent, nec hic eſſe voluiſſent. Omnis enim corporum pulcritudo *eſt partium congruentia cum quadam coloris ſuavitate, ubi autem non eſt partium congruentia, aut ideo quid offendit quia parvum eſt, aut ideo quia parum, ubi & quae parva ſunt corrigentur, & quod minus eſt quam decet, unde creator novit, inde ſupplebitur: & quod plus eſt quam decet, materiae ſervata integritate detrahetur.* Coloris porro ſuavitas *quanta erit? ubi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui? quae claritas in* Chriſti *corpore, quum reſurrexit ab oculis diſcipulorum potius abſcondita fuiſſe quam defuiſſe credenda eſt.* Non enim *eam ferret humanus atque infirmus aſpectus, quando ille a ſuis ita deberet attendi, ut poſſet agnoſci, &c.* Ita *Auguſtinus.*

Quod in reſurrectione mortuorum natura corporum quibuslibet modis diſſipatorum in integrum undecumque revocanda erit.

CAP. IX.

Neſcio quo autem modo (pergit *Auguſtinus Cap. XX.*) *ſic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre, vul-*

dere vulnerum cicatrices, quae pro Chriſti nomine pertulerunt. Et fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit, & quaedam quamvis in corpore non corporis ſed virtutis pulcritudo fulgebit. Nec ideo tamen ſi aliqua martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum, quibus dictum eſt: capillus capitis veſtri non peribit. Sed ſi hoc decebit in illo novo ſaeculo, ut indicia glorioſorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, ubi membra ut praeciderentur percuſſa vel ſecta ſunt: ibi cicatrices, ſed tamen eisdem membris redditis non perditis, adparebunt. Quamvis itaque omnia, quae acciderunt corpori, vicia tunc non erunt, non ſunt tamen deputanda vel adpellanda vicia, ſed virtutis indicia. Abſit autem ut ad reſuſcitanda corpora, vitaeque reddenda non poſſit omnipotentia creatoris omnia revocare, quae vel beſtia vel ignis abſumſit, vel quidquid in pulverem cineremve collapſum, vel in auras eſt exhalatum. Abſit ut ſinus ullus ſecretumque naturae ita recipiat aliquid ſubtractum ſenſibus noſtris, ut omnium creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem. Deum certe volens ſicut poterat diffinire Cicero, tantus auctor ipſorum. Mens quaedam eſt, inquit, ſoluta & libera, & ſecreta ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaque praedita motu ſempiterno: hoc autem reperit in doctrinis magnorum Philoſophorum. Vt igitur ſecundum ipſos loquar, quomodo aliquid vel latet omnia ſentientem, vel irrevocabiliter fugit omnia moventem? Vnde eam etiam quaeſtio illa ſolvenda eſt, quae difficilior videtur ceteris, ubi quaeritur quum caro mortui hominis etiam alterius ſit viventis caro, cui potius eorum in reſurrectione reddatur. Si enim

K *quiſ-*

quiſpiam confectus fame atque compulſus veſcatur cadaveribus hominum, quod malum aliquoties accidiſſe, & vetus teſtatur hiſtoria, & noſtrorum temporum infelicia experimenta docuerunt, non quiſquam veridica remotione contendat, totum digeſtum fuiſſe per imos meatus, nihilque in eius carnem mutatum atque converſum, cum ipſa macies quae fuit & non eſt, ſatis indicet quae illis eſcis detrimenta ſuppleta ſint. Iam itaque aliqua paulo ante praemiſi, quae ad iſtum quoque nodum ſolvendum valere debebunt. Quidquid enim carnium exhauſit fames, utique in auras eſt exhalatum. Vnde diximus omnipotentem Deum poſſe revocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus coepit, ab illo quippe altero tamquam mutuo ſumta deputanda eſt, quae ſicut aes alienum redhibenda eſt, unde ſumta eſt. Sua vero illi, quem fames exinaniverat, ab eo qui poteſt etiam exhalata revocare reddetur. Quamvis & ſi omnibus periſſet modis, nec ulla eius materia in ullis naturae latebris remanſiſſet, unde vellet eam repararet omnipotens. Sed propter ſententiam veritatis qua dictum eſt, capillus capitis veſtri non peribit, abſurdum eſt ut putemus, quum capillus capitis perire non poſſit, tantas carnes fame depaſtas atque conſumtas perire potuiſſe. Quibus omnibus pro noſtro modulo conſideratis atque tractatis, haec ſumma conficitur, ut in reſurrectione carnis in aeternum eas menſuras habeat corporum magnitudo, quas habebat perficiendae ſive perfectae cuiuſcumque indita corpori ratio iuventutis, in membrorum quoque omnium modulis congruo decore ſervato. Quod decus ut ſervetur, ſi aliquid demtum fuerit indecenti alicui granditati in parte aliqua conſtitutae, quod per totum ſpargatur, ut neque id

pe-

pereat, & congruentia partium ubique teneatur, non eſt abſurdum ut aliquid inde etiam ſtaturae corporis addi poſſe credamus, cum omnibus partibus ut decorem cuſtodiant id diſtribuitur, quod ſi enormiter in una eſſet utique non deceret. Aut ſi contenditur in ea quemque ſtatura corporis reſurrecturum eſſe, in qua defunctus eſt non pugnaciter reſiſtendum eſt, tantum abſit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omniſque corruptio, & ſi quid aliud illud non decet regnum, in quo reſurrectionis & promiſſionis filii aequales erunt angelis Dei ſi non corpore, non aetate, certe felicitate. Hactenus ὁ πάνυ. Etſi vero ita egregie differuerit *Auguſtinus*, non tamen omnem de plano difficultatem amovit, quae ex feris Anthropophagorum moribus, & foedo victu, a nonnullis obiicitur, & praecipue ab *Avicenna Cap. III. De Almahad*, & a noſtrae aetatis heterodoxo homine *Th. Burnetio Libro De Statu Mort. & Reſurgent. Cap. IX.* Nam ſeriem, exempli gratia, Anthropophagorum ponamus, qui per mille & amplius annos ſibi ſucceſſerint, omneſque humana ſui invicem carne alti, & ſatiati, fuerint. Certe fieri poſſe videtur, ut caro unius hominis in decem aut quindecim alios ſucceſſive tranſierit, ſubſtantia unius in alterius ſubſtantiam tranſeunte; totaque iam unius ſubſtantia, aliena carne exſiſtente; adeo ut, ſi caro ſua aliis reddenda eſt, huius ſubſtantia deſtruatur neceſſe ſit. Quamquam vero id captu per quam difficile ſit, quomodo ſcilicet ſua huic caro & ſubſtantia reddi poſſit, ſine detrimento aut deſtructione aliorum; aut aliis ſine huius interitu & defectu: facile tamen id eſſe Dei omnipotentiae credendum eſt, ut monebat *Auguſtinus*; & captu etiam non impoſſibile. Certe enim Anthropophagi illi, & hominum voratores, non ſemper fue-

re ; ſed primus aliquis fuit, qui morem immanem invexit. Hic autem primus corpus, & ſubſtantiam, recipiet, quam habuit ante quam ex comeſtis hominibus pingueſceret ; adeoque voratis illis hominibus ſua caro reddenda erit, quae in primi huius carnem tranſierat. Quod ſi & hic primus ab aliis hominibus voratus fuerit ; & ab his eius caro auferetur, ut ei reſtituatur, ex quo iterum hominibus ab eo devoratis reddenda eſt ; id quod & in infinitum progrediendo dicendum erit. Nam facile eſt divinae omnipotentiae huiuſmodi opus per infinitos gradus retexere. Quod ſi quis nullam aliam ſubſtantiam haberet, quam quae ex aliarum hominum carnibus exſtitit, tunc huic alicuius aetatis ſubſtantia relinqui poterit ut exſiſtat ; & aliorum aetatum auferri, ut aliis reſtituatur ; ſicuti aliis alia reddi, non ea, in qua vorati fuere. Nam, quod latius capite inſequenti diſputabimus, non propria cuique hominis aetati univerſa & ſolida ſubſtantia homini reddetur, ne pro hominibus montes reſtituantur, quod prudenter *Avicenna* animadvertebat ; ſed tanta ex eadem ſubſtantia reſtituetur, ut idem homo, & eadem caro, & integrum perfectumque corpus priſtinum, dici poſſit. Id quod ab antiquis noſtris Theologis non ſatis animadverſum, vel non ſatis declaratum, & praecipue ab *Auguſtino*, ut ex superiore *Capite VIII.* patet, ubi nimius eſt, & pluſquam oportet ſolicitus, in tota etiam capillorum & unguium materia reſtituenda ; nam illi ſubſtantiam noſtram in fluxu eſſe, nec eamdem nos ſemper habere, forte non animadverterunt ; quamquam animadvertit *Avicenna De Almahad. Cap. III. Membra*, inquit, *continuo reſolvuntur & reſtaurantur. Et partes membrorum continue reſolvuntur ; per-*

permutantur in nutricatione ; & quaedam eorum nutriuntur ex nutrimento alterius ſuperfluo , & ſic eſt impoſſibile ut reſurgat idem corpus cum eisdem membris , & cum tota materia quam habuit toto tempore vitae ſuae . Aliter enim homo cum membris ſuis reſurgeret cum quantitate exceſſiva , ſicut mons .

Quid Th. Burnetius *de carnis reſurrectione ſenſerit ; & eius opinionum confutatio .*

Cap. X.

Nos quidem adverſum Philoſophos tantum de carnis reſurrectione diſputare decreveramus ; Chriſtianos homines omittentes , qui circa hoc dogma turpiter lapſi ſunt; eorumque confutationem aliis relinquere ferebat animus , qualem *Nat. Alexander* praeclariter exſequutus eſt . Sed quum videam noſtrae aetatis hominem *Th. Burnetium* eo libro , quem *De ſtatu mortuorum & reſurgentium* inſcripſit , multa circa hoc placitum peccare , magis Philoſophum , quam Theologum , agentem , dum plus ſuae ratiocinationi concedit , quam divinis oraculis , & Patrum traditionibus , defert ; adridet quaedam etiam adverſus eum , ſed breviter , & via compendiaria , diſſerere .

Ille igitur *Capite* ſui Operis VIII. cenſet , atque adſeverat , corpus reſurgentium minime *organicum* fore ; illudque ex materia caeleſti refingendum , ita ut ſit *inſtar flammae , aetheris , aut lucis liquidae* ; adeoque idem vocat *inorganicum* , & *inconcretum* .

Hinc etiam *Capite* inſequenti, veluti conſectarium adſtruere conatur, non eamdem carnem, non idem corpus reſurrecturum, ſed alio ſpiritali & aethereo animas indutum iri, ut iam de eo prope poſſimus pronunciare, quod de Lucano haeretico ſcripſit *Tertullianus De Carn. Reſurrect. Viderit unus aliquis Lucanus, nec huic quidem ſubſtantiae parcens, quam ſecundum Ariſtotelem diſſolvens, aliud quid pro ea ſubiicit tertium, quiddam reſurrecturum, neque anima, neque caro, ideſt non homo, ſed Vrſus forſitan, tamquam Lucanus.* Quibus rationibus & argumentis id confirmare conetur, iamiam videbimus; interim obſervabo *Th. Burnetium* hoc ſuo conſulto, & reſurrectionem e medio tollere, quemadmodum Origenes, & ſequaces fecerunt; & *identitatem* hominum, ac perſonam etiam iuxta quosdam, deſtruere; & contra coeleſtium litterarum, & Sanctorum Patrum traditionem, & auctoritatem, venire. Et quod primum attinet, exploratae fidei eſt, & ex ipſa vocis ſignificatione manifeſtum, reſurrectionem dici tantum de eo, quod cecidit; id quod a *Ioanne Damaſceno*, & *Michaele Glyca* noſtro, late & recte ac prudenter obſervatum fuit, & ante illos a *Tertulliano De Reſurrect. Carnis. Quum audio reſurrectionem homini imminere, quaeram neceſſe eſt, quid eius cadere ſortitum ſit. Si quidem nihil reſurgere, expectabit, niſi quod ante ſucciderit.* Si ergo eadem corpora, quae cadavera iam lapſa & corrupta fuerant, animae in reſurrectione non adſumunt; de quo nam reſurrectio dici poterit? Num de anima, quae numquam moritur, quae numquam cadit? Verum id impoſſibile. Num de corpore coeleſti, & ex materia aetherea conſtanti, quod numquam antea fuerat, quod tunc primum con-

condetur? Sed tunc creatio erit, non reſurrectio. Reſurrectio igitur hoc erratico decreto deſtruitur.

Sed tamen ſibi minime conſtans *Burnetius* Reſurrectionem eſſe vult. At ſi reſurrectio futura eſt; quo eſſe poſſit, neceſſarium erit, ut Deus id, quod cecidit, cadavera ſcilicet, quae dilapſa fuerant, ac perierant, mirabili ſua virtute reſuſcitet. Iuſta igitur, & digna, & neceſſaria erit cauſa, cur ad divinam omnipotentiam provocemus. Quorſum igitur illa inſubida & temeraria *Burnetii* verba: *Nec ad omnipotentiam divinam provocandum eſt ſine cauſa iuſta, digna, & neceſſaria. Quum vero plane inutile ſit, eaſdem (numero aut ſpecie) nos habere partes in corpore immortali, quas habuimus in mortali, circa rem inutilem occupare non licet ſummam Dei potentiam*. Quum autem ne quid inutile fieret tam bene providiſſet, etiam Dei quieti conſulere ſatagit, & ne operando fatigetur ſolicitus timet. *Miraculum eſſet*, inquit, *ut ita dicam operoſiſſimum omnium cadaverum humanorum, ab origine mundi ad eiuſdem finem, recolligere pulveres & pulviſculos; dehinc ſeparatum referre unumquemque ad ſuam maſſam vel cumulum: illamque maſſulam exinde in veterem corporaturam refingere & recomponere: huiuſmodi miraculi, multifarii, & ſine fructu, nullum adhuc noviſſemus exemplum*. Qui ita de Deo, eiuſque virtute, diſſerit, nil mirum ſi & de reſurrectione tam male ſentit atque iudicat; nam & credit aliquid Deo minus aut magis operoſum contingere poſſe; & miraculorum inſolentiam refugit; atque id, quod ſuis paralegiſmis minus aptatur, minime Deo convenire ſtatuit. Verum id parum eſſet, niſi & Deo de potentia litem moveret, & eius infinitam virtutem ſua curta intelligentia

metiretur. *Haec de rei*, inquit, *inutilitate & ambagibus: ceterum an ſit in cenſu poſſibilium, a multis ambigitur; quum eadem pars materiae non poſſit eſſe ſimul in diverſis locis, aut in diverſis corporibus*. Ac deinde Anthropophagos in medium adducit, & cadaverum particularum in ſexcentas diverſas ſpecies tranſmutationem proponit, divinae, ſi Deo placet, potentiae inextricabilem. Sed huiuſmodi difficultatem merito contemnentes ad *Cap. IX.* huius Diſſertationis Lectorem amandamus, ubi ei ſufficienter occurſum eſt, atque ſatisfactum. Egregie *Tertullianus: Reſtitutionem carnis faciliorem credas inſtitutione*.

Ridiculum pariter eſt & plane exſibilandum, quod deinde, eamdem prope difficultatem amplificando, obiicit, materiae partes quotidie *ex uno genere in aliud* tranſire, *mutatis earum figura, & magnitudine, aliiſque ſubinde qualitatibus. Caro non manet caro*, inquit, *neque ſanguis, ſanguis, a principio ad finem mundi, vel a cuiuſque obitu ad ipſius reſurrectionem. Rem clarius explico. Quaelibet ſpecies, vel ordo corporum, conſtat ex particulis ſibi propriis, & diſtinctis ab aliis figura, mole, motu aut quiete. Quibus particulis certo modo diſpoſitis, debito ſitu, miſtione, aut textura, fit corpus talis, aut talis ſpeciei, ordinis, & nominis. Ponamus itaque carnem, exempli gratia, aut ſanguinem conſtare particulis ſibi propriis: hae particulae non ſunt immutabiles: quumque putrefacto cadavere, ſolutae fuerint, & tranſierint in alia corpora, fieri non poteſt, quin varios ſubeundo poros, & diſſimiles meatus in corporibus diſſimilibus, figuras & magnitudines mutarint, ceſſerintque eo ipſo in alius generis particulas: ac proinde ſi recollectae eſſent, &*

com-

commiſtae non conſtituerent denuo carnem & ſanguinem, ſed alterius generis ſubſtantias aut ſuccos. Quomodo enim cum ſibilis non exculcetur ab omnibus hoc ratiocinium? Quaſi difficile futurum ſit ei, qui partes has omnes & diſperſas, & tranſmutatas, colligere iterum potuerit, etiam in priſtinam figuram reſtituere, cuius ope & carnem & ſanguinem, aliaſque corporis humani partes componere iterum & conſtituere poſſint. Nihil dico, quod controverſum, & Peripateticis omnibus impugnandum, figurarum immutatione, & diverſa modificatione texturae, generationem & corruptionem rerum fieri; quare non adeo infirmum fundamentum praeiiciendum fuerat, cui ſtabile dogma inniteretur. Ergo certum Eccleſiae placitum eiurandum erit, ut tam incertis dubiiſque ratiociniis fidem adhibeamus? Quid ſi ſuam ὁμοιομερίαν Anaxagoras nobis haud venditet? Iam quanti faciendum eſt illud epiphonema, quo exclamat: *Haec pauca, ni fallor, palam faciunt, inutile ac operoſum eſſe, ſi non prorſus impoſſibile, ut unum idemque habeamus corpus in hac vita & futura; perpenſis ſcilicet omnibus quae in illa* idemtitate *includuntur*?

Quum igitur corporis *idemtitatem* neget, & idemtitatem hominum deſtruat neceſſe eſt. Imo ipſum hominem. Audi *Tertullianum de Reſurrectione carnis: Hominem autem memento carnem proprie dici, quae prior vocabulum hominis occupavit: & fecit Deus hominem limum de terra. Iam homo, qui adhuc limus*. Quamquam enim perſona immutatis ſubſtantiis eadem ſecundum quoſdam permanere poſſit, ſi ſui, ſuarumque actionum, conſcia anima, vel quaecumque res cogitans, perſeveret, quod late exſequitur acutiſſimus *Lokius*

Lib.

Lib. II. De Intellectu humano Capite XXVII. Non tamen eſt amplius idem homo, idem animal, ſi idem corpus, & eadem corporis ſtructura deſtruatur. Praeclariter idem eximius Philoſophus laudato *Capite* §. *VI. Id oſtendit etiam in quo eiusdem hominis identitas conſiſtat, in eo ſolo videlicet, quod eadem vita gaudet, quae per materiae partes in perpetuo fluxu exſiſtentes continuatur; quae tamen partes ita ſibi ſuccedentes eidem corpori organis inſtructo vitaliter uniuntur. Quicumque autem hominis identitatem in alia re conſiſtere adſeverabit, quam in ea, quae ceterorum animalium identitatem conſtituit, hoc eſt in corpore bene diſpoſito & organis inſtructo certo temporis puncto, & quod exinde in ea vitali organizatione, per diverſarum materiae particularum, quae ei uniuntur, ſucceſſionem, perſeverat, difficulter efficiet ut embryon, homo adultus, furioſus & ſapiens, ſint idem homo, ob hypotheſin, ex qua conſectarium non exſiſtit fieri poſſe, ut Seth, Iſmael, Socrates, Pilatus, Sanctus Auguſtinus, & Caeſar Borgia, ſint unus & idem homo. Nam ſi ſola animae identitas efficit ut homo idem ſit, & nihil ſit in materiae natura, quod, ne idem ſpiritus individuus diverſis corporibus uniri poſſit, impediat; poſſibile certe erit hos homines, qui diverſis ſaeculis vixerunt, & diverſi temperamenti fuerunt, unus & idem homo olim fuerint. Modus quidem loquendi, qui niteretur inſolenti uſu adplicandi vocem* homo *ideae, a qua corpus formaque exterior excluderetur. Hic loquendi modus difficilius etiam accommodaretur rationibus illorum Philoſophorum, qui Metempſychoſin admittentes, opinantur hominum animas in criminum poenam in ferina corpora tranſire, tamquam in domicilia brutis adfectibus explendis propria & idonea.*

Haud

Haud enim ipſe crediderim aliquem perſuaſum, Heliogabali animam in aliquo ſuorum porcorum exſiſtere, dicturum illum porcum eſſe hominem, aut eumdem hominem atque Heliogabalum. Et ex intervallo: *Animal eſt corpus vivens organis inſtructum; & conſequenter idem animal eſt, ut animadvertimus, eadem vita continuata, quae cum differentibus materiae particulis communicatur, dum ſibi ſuccedentes huic corpori organizato & iam vita praedito uniuntur; & quidquid de aliis definitionibus dicatur, ſincera obſervatio nos profecto docet, ideam, quam in mente habemus, eius, quod voce* homo *ſignificatur, nil aliud eſſe quam ideam animalis cuiuſdam certa, & determinata forma praediti; id eſt, de quo nullo pacto dubito. Puto enim mihi audacter proferre licere, quicumque noſtrum animal videret factum fictumque, ut ſemetipſum, etſi numquam plus rationis oſtendiſſet quam Felis, aut Pſittacus, tamen illud* hominem *adpellaturum; & e regione, ſi videret Pſittacum recte ſapienterque loquentem non ſecus ac Philoſophum, non vocaturum & non crediturum illum niſi Pſittacum; & de priori horum animalium dicturum, hominem eſſe hebetem, ſtolidum, & ratione carentem; de poſteriori autem, eſſe Pſittacum ingenioſum, & ratione exornatum.* Et mox: *Opinor enim, id, quod in pleriſque ideam hominis conſtituit, non eſſe ſolum ideam entis cogitantis & rationalis, ſed etiam illam corporis certo modo formati ac diſpoſiti, quod illi enti coniunctum eſt. Itaque ſi ea eſt hominis idea; idem corpus conſtans partibus ſucceſſivis, quae non omnes ſimul & eodem tempore diſſipantur, concurrere debet aeque ac ſpiritus immaterialis ad eumdem hominem conſtituendum.* Hactenus perſpicaciſſimus ille Philoſophus. Opinio igitur *Burnetiana*

homi-

homines deſtruit reſuſcitandos, nec eosdem umquam reſtituit; etſi eadem perſona non perimeretur. Quod quidem Lokiana doctrina facile demonſtratur; non autem illis futilibus rationibus, quas *Burnetius* adfert, atque ita habent: *At dices forſan non fore eamdem perſonam, niſi idem ſit corpus, ſaltem quoad partem ipſius maximam. Imo vero nullam licet partem haberet anima corporis demortui; quinimo nullum licet omnino haberet corpus, eſſet tamen eadem perſona. Sanctus Paulus ait ſe raptum eſſe in tertium coelum, & neſciviſſe an in corpore fuerit, vel extra corpus. Ponamus eum raptum extra corpus, ideo ne non fuit Paulus adhuc, atque eadem perſona?* Et quae ſequuntur. Quid ſi negarem tunc fuiſſe hominem? Nonne etiam Paulus eſſe deſiiſſet? Nam *Paulus* deſignat certum hominem individuum, qui quidem per ſeparationem animae a corpore deſtruitur: homo enim nec anima eſt nec corpus; ſed ex utroque conſtans. Praeclariter *Tertullianus De Reſurrectione carnis: Porro nec anima per ſemetipſam homo, quae figmento iam homini adpellato poſtea inſerta eſt: nec caro ſine anima homo, quae poſt exſilium animae cadaver inſcribitur. Ita vocabulum homo conſertarum ſubſtantiarum duarum quodammodo fibula eſt, ſub quo vocabulo non poſſunt eſſe niſi cohaerentes.* Sed ſi minus eſt *Paulus*, ut etiam *Lokius* adfirmat, quorſum illa *Burneti*? *Ideo ne non fuit Paulus adhuc?* Quin quum ſubiungat *atque eadem perſona*; eminet illum *perſonam* cum homine confundere; adeoque quum homo interierit, etiam perſona neceſſario deſtructa eſt; quod *Burnetium* minus ſibi conſtantem evinceret. Idem dici poteſt de Latronis, & Martyrum, & Prophetarum, exemplo quod minus apte & utiliter *Burnetius* profert. Nam & ii,

ii, qui perſonam in alio, quam in conſcientia, conlocant (id quod Orthodoxis faciendum videtur, ne duas in Chriſto perſonas cum Neſtorianis admittant, ad quod *Lokius* cogi cenſeatur, etſi forte defendi poſſit) facile concedent, & Latronem fuiſſe in Paradiſo cum Chriſto, & ibidem eſſe Martyras & Prophetas, & eſſe eaſdem animas, quae minus proprie Martyres & Prophetae ex communi uſu dicuntur, quomodo & divinae litterae ſaepe loquuntur; ſed non eſſe iam eaſdem perſonas humanas, quales poſt reſurrectionem futuri ſunt. Dicerent inſuper interim praemia non dari perſonae, quae iam deſtructa eſt, ſed parti hominis incorruptae & aeternae; donec completa & perfecta beatitas poſt iteratam corporum adſumtionem etiam perſonae reſtitutae contingat. Quare incaſſum clamat: *Omnes denique defuncti, ſive boni ſive mali, ante reſumta corpora eaedem manent perſonae, ut patet ex cuiuſque ſorte propria, & ab aliis omnibus diverſa.*

Ex doctrina autem Lokiana quam ſuperius adtulimus, etiam aliam non contemnendam *Burnetii* difficultatem facile amoliri eſt. Inquit enim: *Diſpiciendum itaque in primis, quid in ſe contineat, & includat illa ſententia de idemtitate utriuſque corporis, terreſtris & coeleſtis: quae commoda aut incommoda, & ſi qua etiam repugnantia. Paulo ſupra notavimus, corpus noſtrum in hodierna vita eſſe multiplex; diſſipatur & reſarcitur in dies, & poſt aliquot annos fit ex integro novum. Proinde in curriculo totius vitae, ſex aut ſeptem habemus diverſa corpora; & adhuc quidem plura, ſi vivaces & longaevi ſimus. Hoc facit ut mihi veniat in mentem quaeſtionis a Sadducaeis male propoſitae, de femina quae ſeptem*

ha-

habuiſſet maritos. Quemnam ſcilicet ex iis habitura eſſet in reſurrectione. Femina illa ſit anima , quae ſeptem habuit corpora, quaſi coniuges : quaeritur ex his ſeptem quodnam habitura ſit in reſurrectione? Omnia enim habuit. Illud e ſeptem, opinor, dices, quod habuit ultimum. Ceterum fieri poteſt, animam multo plus boni aut mali perpetraſſe in alio corpore, quam in noviſſimo : proinde illud aliud potius ſocium habere deberet ſuae gloriae aut miſeriae. Praeterea dedecet aulam coeleſtem, coetuſque Angelicos corpus aut vietum & attritum, aut puſillum & infantile: & in horum alterutro maxima pars humani generis fatis concedit. Quod ſi corpuſculum illud infantile ad florem aetatis promovere velles, aut eodem reducere corpus ſenio confectum, tot tantiſque opus eſſet additamentis & interpolationibus, ut, inſtar navis Argus centies reparatae, nomine tenus tantum idem eſſet corpus. Denique mallem ego aedificium de coelo novum, quam tugurium terrenum quomodocumque adauctum, aut reſarcitum. Haec ille. An non huiuſmodi offuciis reſpondere poſſim, etſi corpus noſtrum, ſi vita longaeva ſit, forte ſepties totum immutetur, ad hominis *identitatem* fore ſatis in reſurrectione ut unum ex illis ſeptem corporibus animae reſtituatur; quum viderimus eam *identitatem* ex organizatione certa certi corporis certo temporis puncto dependere, & ſufficere ut ſubſtantia illa ſit, quae aliquando certi hominis fuit, ut ex his, quae *Lokius* egregie diſputavit, elucet atque eminet. Id quod alias plures difficultates ſolvit, & praecipue de iis, qui ab Anthropophagis devorantur. Iis enim etſi idem corpus, in quo abſumti fuerunt, non redderetur; tamen alia ſubſtantia reſtitui poſſet, quae olim hominem

minem illum eiuſque corpus conſtituit, & iam effluxit & diſperſa eſt. Sed de his alibi latius egimus ſuperius *Cap. IX.* Si vero hoc corpus minoris meriti eſſe poteſt, quam illud quod non reſtituetur; quae quidem una rationum eſt, cur Theologi *identitatem* exigant; id quidem minus officit, quum ſatis videatur ut generatim eidem homini integro & perfecto praemia dentur; & poenae, iuxta meritum, infligantur. Nec eſt quod *Burnetius* argumentationem hanc, qua corporis identitatem exigunt, eſſe prorſus ἀφιλόσοφον, nulli aut falſo innixam fundamento, proclamet. *Neque enim*, inquit, *praemii aut poenae, doloris aut gaudii, capax eſt materia quaecumque: ſemper inſenſilis, ſive in hodierno corpore, ſive in futuro. Anima ſola non tantum vult & intelligit, ſed etiam ſola ſentit, ſive dolorem, ſive voluptatem, ſolaque habet adfectus, bonos aut malos, &c.* Ipſe primum regeram, ſi res ita habet, nullam cauſam intelligi, cur & ſuum illud corpus caeleſte animae tamdem dandum ſit, quum aeque beata ac miſera ſine illo eſſe poſſit. Deinde adiiciam in confeſſo non eſſe apud omnes Philoſophos materiam omni ſenſu deſtitui, nec doloris aut gaudii eſſe capacem: plerique enim Philoſophorum corporalem & ex materia conſtantem animum eſſe dixerunt, & tamen ſenſu & intellectu praeditum illum adgnoverunt. Quin & multi Sancti Patres fuere, qui nihil incorporale, praeter Deum, eſſe arbitrantes, & animum humanum corporeum eſſe dixerunt, inter quos eminet *Tertullianus* Carthaginienſis. Nec impoſſibile videtur *Lokio Lib. IV. Cap. III.* ut Deus materiae ſenſum & intelligentiam donet; adeoque, ut materia cogitet, & intelligat. Quare ſi minus ἀφιλόσοφος eſt *Burnetii*

netii diſputatio, certe adrogans nimis eſt, atque inſolentis hominis propria, qui pro certo & explorato venditat, quod inter Philoſophos controverſum eſt. Sed ſola anima ſit quae vult, & intelligit, & ſentit; certe donec corpori unita eſt, non vult, neque intelligit, neque ſentit, ſine corpore; & eius voluntatis, & intelligentiae, & ſenſus, organum & inſtrumentum corpus eſt; & mira quaedam inter animam & corpus conſenſio eſt ad omnes operationes exercendas. Cur igitur nolit Deus, ut quae per corpus agens & operans bene vel male in vita meruit; per corpus etiam praemia poenaſve participet? Quod ſi dicat id non eſſe neceſſarium; reſpondebo non fuiſſe quoque neceſſarium ut in hac vita corpore inſtrueretur, quo bene, vel male ageret; & tamen Dei conditoris voluntate ſine corpore non fuiſſe, quemadmodum Dei reſtitutoris iuſſu corpori iterum coniungenda in reſurrectione eſt. Egregie *Tertullianus De Reſurrectione Carnis*: *Quem enim naturae uſum, quem mundi fructum, quem elementorum ſaporem, non per carnem anima depaſcitur? Quid ni? Per quam omni inſtrumento ſenſuum fulciatur, viſu, auditu, guſtu, odoratu, contactu: per quam divina poteſtate reſperſa eſt, nil non ſermone perficiens vel tacite praemiſſo. Et ſermo enim de organo carnis eſt; artes per carnem. Studia, ingenia, per carnem. Opera, negotia, officia, per carnem: atque adeo totum vivere animae carnis eſt, ut non vivere animae nil aliud ſit, quam a carne divertere. Sic etiam ipſum mori carnis eſt, cuius & vivere. Porro ſi univerſa per carnem ſubiacent animae, carni quoque ſubiaceat per quod utaris (quum eo utaris) neceſſe eſt. Ita caro dum miniſtra & famula animae deputatur, con-*

ſors

ſors & coheres invenitur: ſi temporalium, cur non aeternorum? Deinde cur anima non cum corpore iudicanda? Audi iterum *Tertullianum. Haec erit tota cauſa, imo neceſſitas reſurrectionis; congruentiſſima ſcilicet Deo deſtinatio iudicii: de cuius diſpoſitione diſpicias, an utrique ſubſtantiae humane diudicandae, cenſura divina praeſideat, tam animae quam & carni. Quod enim congruet iudicari, hoc competet etiam reſuſcitari. Dicimus plenum primo perfectumque credendum iudicium Dei, ut ultimum iam atque exinde perpetuum. Vt ſic quoque iuſtum, dum in aliquo minus. Vt ſic quoque Deo dignum, dum pro tanta eius patientia, plenum atque perfectum. Itaque plenitudinem perfectionemque iudicii, non niſi de totius hominis repraeſentatione conſtare. Totum porro hominem ex utriuſque ſubſtantiae congregatione parere, idcircoque in utraque exhibendum, quem totum oporteat iudicari: qui niſi totus, utique non vixerit: Qualis ergo vixerit, talem iudicari: quia de eo quod vixerit, habeat iudicari. Vita eſt enim cauſa iudicii; per tot ſubſtantias diſpungenda, per quod & functa eſt. Age iam ſcindant adverſarii noſtri carnis animaeque contextum; prius in vitae adminiſtratione, ut ita audeant ſcindere illud etiam in vitae remuneratione. Negent operarum ſocietatem, ut merito poſſint etiam mercedem negare. Non ſit particeps in ſententia caro, ſi non fuerit & in cauſa. Sola anima revocetur, ſi ſola accedit. At enim non magis ſola decedit, quam ſola decucurrit. Illud unde decedit vitam hanc dico. Adeo autem non ſolum anima tranſigit vitam, ut nec cogitatus licet ſolos, licet non ad adfectum, per carnem deductos auferamus a collegio carnis. Siquidem in carne, & cum carne, & per carnem agitur ab anima, quod agitur in corde. Hanc denique carnis*

ſpeciem, arcem animae etiam Dominus in ſugillationem cogitatus taxat. Quid cogitatis in cordibus veſtris nequam? Et, Qui conſpexerit ad concupiſcendum, iam adulteravit in corde. Adeo & ſine opere, & ſine effectu, cogitatus, carnis eſt actus. Sed & ſi in cerebro, vel in medio ſuperciliorum diſcrimine, vel ubi philoſophis placet, principalitas ſenſuum conſecrata eſt, quod hegemonicon adpellatur, caro erit omne animae cogitatorium. Numquam anima ſine carne eſt, quamdiu in carne eſt. Nihil non cum illa agit, ſine qua non eſt. Quaere adhuc an cogitatus quoque per carnem adminiſtrentur, qui per carnem dignoſcuntur extrinſecus. Volutet aliquid anima, vultus operatur indicium: facies interiorum omnium ſpeculum eſt. Negent factorum ſocietatem, cui negare non poſſunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant; ergo peccatrix tenebitur ſupplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus; ergo & bene operata tenebitur praemio. Et ſi anima eſt, quae agit & impellit in omnia, carnis obſequium eſt: Deum non licet aut iniuſtum iudicem credi, aut inertem: iniuſtum, ſi ſociam bonorum operum a praemiis arceat: inertem, ſi ſociam malorum a ſuppliciis ſecernat: quum humana cenſura eo perfectior habeatur, quo etiam miniſtros facti cuiuſque depoſcit, nec parcens, nec invidens illis, quo minus cum auctoribus aut poenae, aut gratiae communicent fructum. Quae vero de corpore vieto & attrito; aut puſillo & infantili habet, ea nihili ſunt; quum ſervata quomodocumque ſubſtantia & forma, immutari, & perfici, & glorioſum reddi debere eſſe, communis Theologorum Chriſtianorum doctrina ſit, de qua late ſuperius *Cap. VII. & ſeqq.* egimus; ubi & de interpolationibus & additamentis huiuſmodi

di corporum magnus *Auguſtinus* egregie diſſeruit. Prudentius de his loquutus eſt *Io. Clericus* in *Notis ad Grotium De Veritate Religionis Chriſtianae*, qui tantum protulit, ubi de identitate corporis in reſurrectione agitur, non nimis ſubtiliter & ſcrupuloſe procedendum, quum corporis ſubſtantia in fluxu ſit, nec eadem ſemper permaneat. Si vero ipſe mallet aedificium novum de coelo, quam tugurium terrenum quomodocumque reſarcitum, neſcio an alii eodem deſiderio teneri poſſint aut velint, metuentes ne forte nullum ſic habituri ſint, quum ignorent an ſomniata a *Burnetio* materia illa coeleſtis, unde corpora demum fabricentur, vere exſiſtat, & ullibi ſit; ut nihil dicam de amore animae erga ſuum corpus, de quo nonnulla Platonici pronuntiaverunt, ſed ita ut ſceleſtis & malis animis illum tribuerent, ut in *Phaedone* videre eſt; nec lubeat modo illam excitare quaeſtionem, *An coniugium animae cum corpore ſit delectabile*, quam video a quodam noſtra aetate paulo curioſius inſtitutam.

At id quod peius eſt, ſua opinione *Burnetius* caeleſtibus oraculis, & ſanctorum Patrum documentis, adverſatur. Id quidem & ipſe fatetur non invitus dum ſcribit: *Secundum hypotheſin litteralem Scripturae, idem corpus, quod cecidit, reſurrecturum eſt, idem cadaver, quod iacet in ſepulcro, proditurum eſt. Ad vocem Chriſti, vel ad ſonitum tubae, mare eiiciet mortuos ſuos, terra ſuos itidem, & quodlibet elementum aut regio huiuſce mundi inferioris, quae abſorbuerat & recondiderat cadavera, in apricum proferet, vel intacta vel redintegrata. Haec mihi videtur idea reſurrectionis in ſacris litteris maxime obvia, & vulgo quidem accommodatiſ-*

 ſima,

ſima, *&c.* Fatetur igitur ſaltem hoc placitum divinas litteras ſenſu obvio prae ſe ferre; ſed illud admitti poſſe negat, & quia aliud latenter occulteque eaedem litterae inſinuant; & ratio ipſa repugnat. Quas rationes huc uſque a *Burnetio* pro ſua opinione adlatas expendimus, eas futiles eſſe & minus ſubſiſtere vidimus; quanti aliae faciendae ſint, ſuo loco inferius ad examen revocabimus. Iam quomodo ſacras litteras ſacris litteris opponat videamus. *Sunt autem praeterea*, inquit, *in iisdem ſacris litteris, corporis quod habituri ſumus in reſurrectione characteres quidam occultiores, qui rei naturam penitus inſpicientibus, ſatis indicant, quum erimus ἰσάγγελοι, & conformes gloriae & lumini ipſius Chriſti, alterius ordinis ab hodierno fore corpus noſtrum, &, tam materia quam forma, diverſiſſimum ab hac membrorum compage, viſcerumque & humorum farragine. Ac proinde aliam eſſe doctrinam arcanam, ſive hypotheſin rationalem, aliam vulgarem, in hoc argumento.* Iam illud ex hac ratiocinatione abſurdum exſtat loca divinae Scripturae plana & aperta, quaeque nulli difficultati obnoxia ſunt, per occulta, & obſcuriora, perplexa atque ambigua, illuſtrari & explicari debere, contra omnem regulam, quam quidem aut *Tyconius*, aut alius Patrum, excogitaverit. Nam ut vere ac recte *Auguſtinus Lib. III. De Doctr. Chriſt. Cap. XXVI.* inquit, *Locum unum ſacrae ſcripturae exponere per alium eiusdem Scripturae clariorem, optima interpretatio eſt.* Sed *Burnetius* e regione obiicit. *Idque ſaepe accidit in ſtilo ſacrae Scripturae, & rem exprimi aut repraeſentari populariter & ad captum vulgarem, nonnullis in locis: in aliis tamen non deeſſe indicia, quibus ſedulus inveſtigator latentem ve-*

rita-

ritatem eruere poſſit. Et mox. *Nulli non notum eſt, & in confeſſo, Scripturam ſacram ſaepius ἀνϑρωπολογεῖν, more loqui humano, in tractandis rebus abſtruſioribus. Et fallor niſi tam ſcena iudicii generalis, quam ſcena reſurrectionis generalis, more humano repraeſentantur, in prima ſui facie, & adparatu exteriori*. Ipſe quidem credo in hoc *Burnetium* falli; nam divinas Scripturas ſaepe ἀνϑρωπολογεῖν, humano more loqui, ubi res aliter explicari vulgaris ſermonis conſuetudo, aut captus humani imbecillitas, facile non patitur, ut quum Deo membra, & humanos adfectus tribuunt, veriſſimum eſt: ſed ubi nihil locus id exigit, cur faciat, aut cur facere intelligendum ſit, haudquaquam video. Nam ut egregie *Baſilius* in *Hexaem. Congreſſ. IX.* ait, *Litteralis expoſitio maxime commendatur, ubi commode fieri poteſt*. Et veriſſimum eſt quod *Hieronymus* in *Epiſtolam ad Galatas* obſervat: *Allegoria aliud praetendit in verbis, aliud ſignificat in ſenſu. Non tamen quaerenda eſt in praeceptis, quae ad vitam pertinent, aut in his quae perſpicua & manifeſta ſunt. Nam haec regula ſanctarum Scripturarum eſt*. Et profecto quid opus habebant ſacrae Scripturae pronunciandi, eosdem homines reſurrecturos, e ſepulcris prodituros, ab elementis cadavera redditum iri, ſi nihil horum fieri debebat? An non eadem rei intelligentia, & humano captui vulgarique accomodatiſſima, ſi dixiſſet Deum caeleſtia corpora olim animis daturum, & alia forma praedita, nec decere moribunda, & caduca, & iam dilapſa & corrupta membra, iterum iis circumdari? Quae rei & narrationis qualitas exigit, ut illis ambagibus, & verborum perplexitatibus, haec involvantur? Fateor igitur non invitus Scripturam divinam aliquando ἀνϑρωπολογεῖν; ſed

quum non ubique id faciat, eas heic notas ac characteres non habeo, ex quibus coniiciam & heic more humano loqui, quum res tamen diverſiſſimas, quam littera praeferat, ſignificare velit. Ad rem. *Tertullianus De reſurrectione carnis : Quis ergo diſcendi magis adfinis, quam praeſumendi : & credendi diligentior, quam contendendi : & divinae potius ſapientiae religioſus, quam ſuae libidinoſus, audiens aliquid a Deo deſtinatum in carnes, & cutes, & nervos, & oſſa, alind quid haec commentabitur, quaſi non in hominem deſtinetur, quod in iſtas ſubſtantias praedicatur? Aut enim nihil in hominem deſtinatur, non liberalitas regni, non ſeveritas iudicii, non quodcumque eſt reſurrectio : aut ſi in hominem deſtinatur, neceſſe eſt in eas ſubſtantias deſtinetur, ex quibus homo ſtructus eſt, in quem deſtinatur. Illud etiam de argutiſſimis iſtis demutatoribus oſſium, & carnium, & nervorum, & ſepulcrorum requiro, cur ſi quando in animam quid pronunciatur nihil aliud animam interpretantur, nec transfigunt eam in alterius rei argumentum; quum vero in aliquam ſpeciem corporalem quid dicitur, omnia potius adſeverant, quam quod nominatur.* Sed quomodo, inquiet *Burnetius*, conciliandi ſunt cum hac reſurrectionis idea characteres illi reſurrectionis occultiores, qui in ſacris litteris abunde & luculenter inſinuantur? *Corporis, ait, immortalis noſtri formam, an futura ſit organica, vel inorganica, reſpicere & indicare videntur hi quatuor Characteres ſacri.* Non opus habebit ventre aut eſcis. *Non conſtabit* carne & ſanguine. *Erit* ἀχειροποίητον, *& denique* ἰσάγγελον. *Hi quatuor characteres examinandi ſunt ſingillatim ut quantum quiſque valeat, quid in ſe involvat, quouſque pertingat, diſcernamus. Quoad*

ad primum, *de quo ſic loquitur Apoſtolus I. Cor. VI.* 13. Eſcae ventri, & venter eſcis. Deus autem & hunc & illas abolebit. *Quando vero abolebit? Non in hac vita, ergo in futura; non in hoc corpore mortali, ergo in corpore glorioſo & immortali.* O mirabilem interpretationem! Iam ridiculum eſt & exſibilandum, characterem reſurrectionis certum eruere ex loco obſcuro, ambiguo, & qui non unam recipit interpretationem; & quem certe omnes Enarratores diverſo modo ediſſerunt & exponunt. Quis tibi revelavit, *Burneti*, te unum veram huius loci intelligentiam percepiſſe, omnes alios viros doctiſſimos falſos eſſe? Ecce *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Nicetas Heracleenſis* a me editus, *Beda*, *Thomas de Vio*, *Fromondus*, *Calmetius*, quos ego conſului, aliter exponunt, & aut guloſitatem deſtructum iri intelligunt, aut uſum tantum eſcarum & ventris, in futura reſurrectione. Quin *Theodoretus* cenſet id commode de abolitione per mortem intelligi poſſe; finem enim haec una cum corpore acceptura ſunt. Sed quidquid de Theodoreti opinione ſit, evidens prope eſt ea voce uti Apoſtolum, quae luculenter indicet uſum tantum harum rerum, non ventris ſubſtantiam, deſtructum iri. Audi igitur ediſſerentem *Fromondum*: Deſtruet: *Graece* otiari faciet, *ſeu* evacuabit, *ut idem verbum Rom. III. v. 3. noſter vertit*, καταργήσει; *venit a nomine* ἄργος *quaſi* ἄεργος, *ideſt otioſus*, *& ſine opere. Venter, inquit, eſcae, victus, amictus, res ſunt viles & minimae, quarum uſum cum mortali & brevi hac vita, Deus otiari, & ceſſare faciet, nec poſtea in vita immortali eorum erit amplius uſus.* Non igitur ventris peribit ſubſtantia, ſed uſus. Quorſum igitur tua illa conſectaria? *Quod ven-*

ventre careat illud corpus , carebit etiam viſceribus , & parenchymati , aliiſque quibuſcumque intra ventris cavitatem contentis , &c. Et mox : *Praeterea ubi nulla eſt eſca , nulla erit nutritio : Nutritioni autem ſubſerviunt plures facultates & organa : quae pariter abolenda ſunt una cum eſca . Huiuſmodi ſunt organa guſtus , &c.* Nam quum haec de ventre dici non poſſint, nec de aliis organis profecto enunciare fas erit : non enim deſtruitur ſubſtantia , ſed uſus . At ex non uſu *Burnetius* inducit organa , & membra illa omnia , quibus nunc corpus inſtruitur , fore inutilia , adeoque omnia abolenda : *Haec igitur inferiora omnia erunt ita abolita ; ut nullius uſus & ſupervacanea .* Sed cui uſui erit corpus illud ſuum *inorganicum ?* Nulli profecto . Quorſum igitur animi informi illa mole implicandi ? Vt male igitur philoſophum dialecticumque agit *Burnetius* ! Aut omnia neget , aut omnia concedat , quorum par ratio eſt . Inſuper nullo modo quoque erit neceſſarium , quum animi corpore ſoluti , totum exſequuturi ſint , quod cum Burnetiano corpore facerent . Quid ſi vera eſſet *Theodoreti* opinio , eſcas ſcilicet & ventrem morte tandem aboleri , & Scholaſticus aliquis , ut *Maſtrius* aut *Lauria* , ne Ieſuitam *Blaſiuccium* nominem , non ſecus ac *Muhammedes* in ſuo *Alcorano* Sur. XXXVII. XXXVIII. & LV. & apud *Avicennam De Almabad. Cap. III.* adfirmaret homines poſt reſurrectionem voluptatibus ſenſilibus explendos , corporalibuſque oblectationibus in Paradiſo & coelo demulcendos? Idque & adductis utrumque ſacrae Scripturae teſtimoniis , & rationibus non minus probabilibus , quam Burnetianae ſint , confirmare conaretur ? At non..e quidam etiam cenſuere Adamum , ſi minus peccaſſet , ſenſili cibo non uſurum , ut quidem

vult

vult *Glycas* noſter *Epiſt. II.* & cum eo *Gregorius Nyſſenus*, *Anaſtaſius Sinaita*, *Ioannes Damaſcenus*, *Ambroſius*, aliique, de quibus *Petavius Tom. III. Theologic. Dogmat. Lib. II. C. VII.* Et tamen Adamus corpore ſuis organis omnibus inſtructo praeditus fuiſſet, iuxta illos; adeo non repugnat habere organa, quae tamen ceſſent, & integritatem conſervent. Deinde reſpondere quoque eſt cum *Tertulliano De carnis Reſurrectione*: *Licet officiis liberentur, ſed iudiciis retinentur: ut quis referat per corpus, pro ut geſſit. Salvum enim hominem tribunal Dei exigit: ſalvum vero ſine membris non liquet eum ex quorum non officiis, ſed ſubſtantiis conſtat. Niſi forte & navem ſine carina, ſine prora, ſine puppi, ſine compaginis totius incolumitate, ſalvam adſeverabis.* Sed opponatur nullum in reſurrectione fore ſexuum diſcrimen, ſtatuiſſe *Athanaſium Sermone III. contra Arianos*, *Hilarium Canone III. in Matthaeum*, *Baſilium in Pſalm. CXIV. Theodoretum Quaeſt. XXXVII. in Geneſin*, *Macarium Homil. XXIV.* ut de *Michaele Glyca* noſtro taceam, qui tam multa de his *Epiſtola VI.* ſuperius diſputavit, & differentiam huiuſmodi nullam fore contendit. Sed facilis eſt reſponſio; nam ad corporis humani, quale primum creatum fuerat, integritatem ſexuum diſcrimen pertinere illi non crediderunt; quod ex *Glycae* laudata Epiſtola intelligere eſt. Sed quantum probabiliter falſi ſint, qui ita cenſuerunt, oſtendimus ad dictam Epiſtolam in *Obſervationibus pag.* 4. & 10. Non enim videtur dubitandum de iis, quae doctiſſimus *Auguſtinus Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. XVII.* habet, dum ita diſſerit: *Non eſt enim vitium ſexus femineus, ſed natura: quae tunc quidem & a concubitu, & a*

partu

partu immunis erit. Erunt tamen membra feminea, non accommodata uſui veteri, ſed decori novo; quo non adliciatur adſpicientis concupiſcentia; quae nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit, & liberavit a corruptione quod fecit. Et infra: *Qui ergo utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituit. Denique & ipſe Ieſus interrogatus a Sadducaeis cuius ſeptem fratrum erit uxor, quam ſinguli habuerunt? Erratis, inquit, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. Et quum locus eſſet ut diceret: De qua me interrogatis, vir erit ipſa, non mulier; non hoc dixit, ſed dixit: In reſurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent: ſed ſunt ſicut Angeli Dei in coelo. Nuptias ergo Dominus in reſurrectione negavit eſſe, non feminas; & ibi negavit, ubi talis quaeſtio vertebatur, ut eam negato ſexu muliebri, celeriore facilitate diſſolveret, ſi eum ibi praenoſceret non futurum*.

Sed iam videamus quid *Burnetius* de alio ſuo charactere deliret. *Quum diſſeruiſſet*, inquit, *Apoſtolus de qualitatibus corporum beatorum, addit in fine ſui ſermonis*, Hoc autem dico, Fratres, quod caro & ſanguis regnum Dei hereditare non poſſunt. *Non poſſunt, inquit. Eſt aliqua repugnantia, ut videtur, inter ſtatum coeleſtem, & conditiones carnis & ſanguinis: proindeque neceſſitas quaedam, ut corpus, quod anima induit in coelis poſt reſurrectionem, ſit ἄναιμον καὶ ἄσαρκον, carne & ſanguine careat*. Sed & heic rurſus *Burnetio* regero: Cur potius crediderim tuam huius loci interpretationem eſſe veram atque ſequendam, & litteraliter hunc locum eſſe accipiendum; quam aliorum doctiſſimorum virorum enarrationes, qui myſtice, & allegori-

gori-

gorice illum intelligendum eſſe arbitrantur, mihi amplexandas? Saltem loci ſenſus controverſus eſt, & iure quidem; quum alias aliis apertiſſimis Scripturae locis adverſari videatur, qui de eadem carne reſtituenda loquuntur. Quare non gratis, ut ais, moralem ſenſum inducimus; ſed neceſſitate quadam ad id faciendum compellimur; & nomine carnis & ſanguinis, & corruptionis, opera carnalia iure intelligimus Sed & ſi litterali ſenſu Apoſtoli verba intelligere volumus non video ex illis conſequi, quod *Burnetius* contendit; quum perſpicue Apoſtolus ſeſe explicet, & indicet evidenter quid nomine *carnis* & *ſanguinis* intelligat, ubi *corruptionem* ſtatim ſubiicit; ſignificat enim carnem & ſanguinem hanc corruptibilem, qualem in hoc corpore mortali habemus, regnum Dei non hereditaturos; ſed caro & ſanguis, qui incorruptibiles evaſerint, quum corpus e terreſtri ſpiritale & coeleſte effectum fuerit. Egregie de more ſuo *Fromondus*: *Caro & ſanguis, ideſt, corpora animalia conſtantia carne, quae alitur, & ſanguine eam aleute, qualia ſcilicet geſtamus in hac mortali vita*. Et mox: *Hereditare non poſſunt: niſi ſcilicet officia illa animalis carnis & ſanguinis exſuant; ideſt corpora reſurgentium debent non animalia, ſed ſpiritualia eſſe: unde iterum ſe interpetrans: Neque corruptio: ideſt corpus corruptibile, abſtractum pro concreto, &c.* Quae optime iam differebat *Auguſtinus* Conſentio ſcribens *Epiſt. CXLVI. Quod ergo legitur apud Apoſtolum. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt: ſolvitur quidem quaeſtio etiam iſto modo quem tu commemoraſti, ut carnis & ſanguinis nomine, opera carnis & ſanguinis intelligantur: verum quia non de operibus, ſed de modo reſurrectionis loquebatur Apo-*

ſto-

ſtolus ; & eam quaeſtionem diſputando verſabat, melius eo loco intelligitur caro & ſanguis, pro corruptione carnis & ſanguinis poſita. Si enim nomen carnis ſignificat operationem, cur non ſignificet etiam corruptionem, ſicut dictum eſt, omnis caro foenum? Nam & hic ipſa corruptibilitas ſignificata eſt. Sequitur enim. Et omnis honor carnis ut flos foeni: foenum aruit, flos decidit. Et ex intervallo *Quum igitur de reſurrectione corporis Apoſtolus diſputans, doceret noſtra corpora futura ex corruptibilibus incorruptibilia, ex contemtibilibus glorioſa, ex infirmis fortia, ex animalibus ſpiritalia, hoc eſt, ex mortalibus immortalia, ſubiecit unde agitur, atque ait. Hoc autem dico fratres, quia caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Et ne quiſquam putaret ſecundum ſubſtantiam carnis hoc Apoſtolum definiſſe, aperuit quid diceret ſubiungendo: Neque corruptio incorruptionem poſſidebit. Tanquam diceret, quod dixi, Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt: ideo dixi, quia corruptio incorruptionem non poſſidebit. Hoc ergo loco nomine carnis & ſanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluit. Denique tamquam ei diceretur: Quomodo caro erit, & caro non erit? Caro quippe erit, quoniam Dominus poſt reſurrectionem ait. Palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere. Caro autem non erit, quoniam caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Exponit quid dixerit, adiiciens. Ecce myſterium vobis dico.* Et ecce obvia Apoſtolicorum verborum, & litteralis expoſitio, ex qua nihil minus defluit, quam quod *Burnetius* pertendit, ut expoſitionem pariter litteralem *D. Irenaei Lib. V. adverſ. Haereſ. Cap. IX.* ſilentio tranſiliam. Non me latet quid ipſe replicet. *Coelum terrae*, inquit, *miſcent,*

qui

qui corruptibile & incorruptibile hoc modo confundunt. Sanguis incorruptibilis id mihi videtur, quod Logici adpellant contradictionem in adiecto. Stamina enim ſanguinis ſunt admodum diſſolubilis texturae & miſtionis: iiſque diſſolutis, ſequitur corruptio vel putrefactio. Atque idem dici poteſt de carne; quae ſanguinis, ſimiliſve ſucci eſt quoddam coagulum. Id quod latius alibi ad nauſeam ingerit, pluribus haec omnia diducens. Quid nam homini Chriſtiano ita ratiocinanti nunc regeram? Certe hic ſanguis, haec caro eadem haberi a reſurgentibus non poteſt, niſi Dei virtus omnipotens diſperſos eorum cineres, diſperſaſque ſubſtantias, iterum collegerit, atque in eamdem formam redegerit, & animis iisdem coniunxerit; opus difficillimum iuxta *Burnetium*, & in quo divina potentia prope deficiat, ſi credere dignum eſt. Sed qui labor, quae deinde tam grandis difficultas ei, qui tam operoſo negotio carnem dilapſam diſperſamque reſtituerit, eamdem iam reſtitutam & compactam aeternum ſervare? Servarunt cadavera ſuccis & opobalſamis quibusdam illita AEgyptii, & ea ſic medicata hactenus durant; Deus non poterit viventia corpora perpetuum ſervare ſua omnipotentia, quia qui id fieri poſſit *Burnetius* non capit? An *Burnetii* ſeſquipedale ingenium divinae potentiae menſura erit? Si reſurrectio carnis futura eſt, totum id miraculum erit, divinae potentiae effectus: quid quaeris amplius? Et ſi maius admittis, quid de minori ſolicitus es? Egregie *Auguſtinus Epiſtola CXLVI. ad Conſentium*. *Ex conſuetudine rerum expertarum, inexperta opera divina, infirmitas metitur humana, & argutule ſe garrire arbitratur, quum dicit, ſi caro eſt, & ſanguis eſt: ſi ſan-*

ſi ſanguis, & ceteri humores, ſi ceteri humores ergo & corruptio: Eo *modo diceret. Si flamma eſt, & ardet: ſi ardet, & urit: ſi urit, ergo virorum trium in fornacem ignis ab impio rege miſſorum corpora incendit. Si autem hoc in tribus viris miraculum factum eſſe non dubitat, quiſquis de divinis operibus recte ſapit, cur non creditur qui fecit illa corpora non poſſe igni corrumpi, feciſſe illud corpus, nec igne, nec fame, nec morbo, nec ſenio, nec ulla vi alia, qua ſolet humana corpora labefactare corruptio? Quod ſi quiſquam dicit non carni trium illorum virorum additam contra ignem incorruptionem, ſed ipſi igni detractam corrumpendi facultatem, quid veremur ne carnem facere nequiverit non poſſe corrumpi, qui fecit ignem non poſſe corrumpere? Nam ſi illud non de carnis, ſed de ignis mutatione intelligitur, multo eſt mirabilius. Simul enim & hominum corpora non urebat, ne poſſet nocere, & ligna fornacis urebat ut poſſet ardere. Sed qui etiam iſta non credunt, nimium de divina poteſtate diffidunt, nec cum eis, vel ad eos, nunc ſermo nobis eſt. Qui autem iſta credunt, ex his etiam illa utcumque coniiciant quae fideliter quaerunt. Valet igitur divina potentia de iſta viſibili atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus auferre, quas voluerit qualitates: ac per hoc valet etiam membra mortalia formae liniamentis manentibus, corruptione vero mortalitatis emortua, ſtabili vigore firmare, ut abſit labes, adſit effigies: adſit motio, abſit fatigatio: adſit veſcendi poteſtas, abſit eſuriendi neceſſitas.*

Iam video *Burnetium* neque admiſſurum Adamum, ſi non peccaſſet, immortalem cum tota ſua poſteritate futurum fuiſſe, quod tamen ſacrae litterae, & Patres omnes concorditer docent, ut apud *Dionyſ.*

Peta-

Petavium Tom. III. Theolog. Dogmat. Lib. II. Cap. VI. videre eſt.

Et hoc modo etiam de Chriſti corpore ratiocinari debes, *Burneti*, ne tua te philoſophia deſtituat. Quid enim ſibi volunt illa: *Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem alia atque alia forma comparuit (Marc. XVI. 12. Luc. XXIV. 16. Iohan. XX. 15. & XXI. 5.) ſe viſibilem aut inviſibilem praeſtitit, pro arbitrio Luc. XXIV. 31. Clauſiſque foribus bis ingreſſus eſt aedes, ubi erant diſcipuli. Ioh. XX. 19. & 26. Et tamen ſe praebebat oſſeum & carneum ſuis diſcipulis, ut, iis dubitantibus, fidem faceret ſuae reſurrectionis. Quibus indiciis ſatis oſtendit ſe corpus ſuum in tenue & volatile reſolvere; aut in concretum craſſumque recolligere potuiſſe. Denique quum adſcendit coelum more alitis Angeli, quale fuit ipſius corpus aut vehiculum? Erat leve & mobile inſtar currus igneus, quo vectus olim Elias, coelum vivus adiit. Pariter quum poſtea viſus eſt Chriſtus a Sancto Ioanne in Pathmo*, Oculi erant, ut flamma ignis; pedeſque ſimiles Chalcolibano, velut in fornace ardentes: *ut antea a Daniele viſus fuerat filius hominis. Denique rediturus eſt tamdem in eadem forma glorioſa, lucida, flammea: aliter habitantibus terram haud viſibilis eſſet in alto aethere, nocte dieque. Quin etiam illa* Gloria Patris, *quacum adpariturus dicitur, eſt ipſiſſima haec forma lucida: prout pater, vel antiquus dierum, ab eadem Propheta deſcribitur, cum adparatu flammanti & luminoſo.* Et ex intervallo: *His ita expoſitis ſtatuendum eſſe videtur, Corpus Chriſti glorioſum quod in coelis gerit, eſſe inſtar flammae, aetheris, aut lucis liquidae.* Ipſe quidem riſu abſtinere non poſſum, quum haec audio. Chriſtum poſt reſurrectionem

nem alia atque alia forma ſpecieque comparuiſſe, ex locis Evangeliorum adlegatis numquam *Burnetius* evincet. Nam *Ioannes* XX. 15. & XXI. 4. non dicit Ieſum facie adſpectuque mutatum fuiſſe; ſed Mariam Magdalenam eum hortulanum, quum bene non animadverteret prae ſtupore, cenſuiſſe; & eius diſcipulos ſtantem in littore non ſtatim cognoviſſe, ob diſtantiam forte, vel quod omnes tenebrae noctis penitus diſſipatae nondum fuiſſent. *Lucas* autem XXIV. 16. ait tantum diſcipulorum oculos retentos fuiſſe, ne Ieſum adgnoſcerent; non ergo Ieſus alia ſpecie adparuit, ſed vis divina illos, ne ſtatim adgnoſcerent, impedivit. Quod vero *Marcum* XVI. 12. attinet, qui ſcribit quod Ieſus *oſtenſus eſt in alia effigie*, id non ad corpus, ſed ad habitum veſtemque referendum eſt. Egregie ad hunc locum *Bernard. Lamius Harmon. Evangel. Lib. V. Cap. XLII.* Dominus autem *oſtenſus eſt* ἐφανερώθη *adparuit, in alia effigie* ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *ideſt veſtitu, ſive habitu alio, quam quo uti ſolebat, ideo advenam putabant; formam enim nativam retinuit, ut ex eo liquet, quod retentione oculorum opus erat, ne ipſum diſcipuli adgnoſcerent. Sic in hiſtoria transfigurationis, verbum* μετεμορφώθη, *ad habitum refertur. Ita Marcus cum Luca facile conciliatur; primus dicit alium fuiſſe habitum Chriſti; ſed nec alium vultum; alter divinitus impeditos oculos diſcipulorum, quominus eum ex vultu adgnoſcerent.* Manichaeus cum *Burnetio* aliter ſentiat, non ego. Ad rem *Hieronymus Epiſt. ad Hedibiam Quaeſt. V.* de Maria Magdalena loquens: *Cumque videret Angelos; & quos cernebat, ignoraret; ſtupore perterrita huc atque illuc faciem circumferebat, nihil aliud niſi Dominum videre deſiderans; converſaque retro, vidit Ieſum ſtan-*

ſtantem: & neſciebat, quia Ieſus erat: non quod, iuxta Manichaeum, & alios haereticos, formam Dominus vultumque mutaſſet; ut pro voluntate diverſus ac varius videretur: ſed quod Maria, ſtupefacta miraculo, hortulanum putaret, quem tanto ſtudio requirebat. Quamquam & *Glycas* noſter in Burnetiana ſententia eſt *Epiſt. V.* ad quam tamen eum opportune caſtigavimus. Si ſe aliquando inviſibilem reddidit, quomodo id factum fuerit videndum eſt. Nam illud *Lucae*, *Evanuit ex oculis eorum*, *ἄφαντος ἐγένετο*, Syrus, & Arabs, exiſtimare videntur factum ſubita loci mutatione. *Epiphanius* diſcipulorum oculis potius obductam caliginem putat; id quod vero ſimillimum ex iis quae antea habet *Lucas*: *Oculi autem illorum tenebantur ne eum adgnoſcerent.* Quid ſi ſolo id ſuae omnipotentis voluntatis arbitrio feciſſet, ſine ulla ſui corporis immutatione? Si autem clauſis foribus ingreſſus eſt, easdem hic difficultates patitur corpus tenue & liquidum, ac corpus craſſum & ſolidum; nam duo corpora, qualiacumque ſint, non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco. Num fluens, ut aqua; & ſpirans, ut ventus, per oſtiorum rimulas penetravit? Sed quid tunc de forma humani corporis faciemus? Quo per foramen ingrederetur, oportuit ut in funiculi longitudinem ſe tenuaret atque protenderet; ut rimam ſubiret, veluti bractea tenuiſſima evaderet neceſſe habuit. Proteum de Chriſto, *Burneti*, iam facis. Iam *Burnetio* non replicem Chriſti corpus etſi paſſibile & caducum, ubi ille natus eſt, per clauſa Deiparae clauſtra divina virtute tranſiſſe; nam homo haereticus de virginitate in partu Deiparae facile litem una cum *Ludovico ἀποθεῷ* movebit, contra receptam Eccleſiae traditionem, ut apud *D. Pe-*

tavium T. VI. Theol. Dogm. Lib XIV. Cap. VI. videre eſt ; etſi inficiandum non ſit quosdam antiquos Patres in contraria fuiſſe ſententia , ut *Tertullianum* , *Origenem* , *Irenaeum* , *Athanaſium* , *Epiphanium* , *Baſilium* , *Iſidorum Pelusiotam* , *Gregorium Nyſſenum* , *Amphilochium* , *Ruffinum* , *Nicephorum Calliſtum* , quorum tamen nonnulli commodam recipiunt interpretationem. Non oſſeum modo & carneum ſe praebet , modo tenue & volatile corpus Chriſti ; ſed divina eius virtus ſola voluntate modo facit ut videatur & tangatur ; modo inadſpicuum & impalpabile reddit. Quemadmodum eadem virtus Babylonicae fornacis ignem non extinxit , non immutavit , ſed ne pueros combureret effecit ; non mutavit naturam & qualitatem rei , ſed impedivit effectum ; non aliam rem fecit , ſed igni actionem in ſanctos illos denegavit . Si Chriſtus ab oculis diſcipulorum evanuit , non immutatione corporis fecit ; videndi ſe illis abſtulit facultatem. Non fuit ſui corporis transformatio ; ſed fuit ſpectantium infirmitas , ut egregie de more *Auguſtinus Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. XIX.* docet , cuius verba ſuperius *pag.* 144. produximus . Idem dicendum de Chriſti corpore in coelum adſcendente. Etſi aere gravius fuiſſet , tamen illud divina virtus elevabat. Ferrum in flumine Deo volente ſupernatat ; corpus Chriſti, etſi grave , Deo volente in coelum non evolabit? Sed a tua ratione , a tua philoſophia non recedamus. Ignis ſit , flamma , aether , corpus Chriſti ; certe ſemper materiatum , ſemper corpus , ſemper grave. Ne me ludas cum *Torricellio* , & omnia levia eſſe dicas ; nam ſaltem magis vel minus levia inter ſe erunt. Si ignis igitur , aut aether , certe aere levior. Sed quum in confinio aeris erit , quae vis ,

quae

quae preſſio illud ſublevabit: ultra aerem, vel aether, vel nihil. Si aether, aequilibre erit nec adſcendet; ſi nihil, multo minus adſcendet. Sed ſi corpora mutuo gravitant, & mutuo ſeſe adtrahunt; iam corpus igneum ſemper gravitabit in terram, & a terra adtrahetur; non igitur a terra recedet, niſi alia vis illud impellat. Sedquae nam haec vis erit, quae in caelum illud ferat? Et ſi talis vis adeſt, cur & ad corpus craſſum & ſolidum in coelum tollendum non adſit? Sed quae nam vis huiuſmodi? Nulla profecto, niſi virtus divina. Vbi nunc tua ratio, ubi tua philoſophia? Cur ſuſque deque omnia miſces, ſi eaedem difficultates etiam in tua ſententia recurrunt? At, inquiet, corpus beatorum, iuxta *Paulum*, erit potens, ἐγείρεται ἐν δυνάμει, erit igitur actuoſum, *& potentia corporis conſiſtit in motu, aut in vi movendi ſeipſum, & alia. Quod facile & celeriter ſe movet de loco in locum, dicitur agile, &c. proinde ut corpus ſit agile, neceſſe eſt ut partes ipſius ſint in motu, ut in aere, vento, flamma, & luce.* Quid ſi potens erit, ut fuit Sanſonis corpus, quod a capillis vim accipiebat? Quid ſi beatorum corpus, non a capillis, ſed ab anima glorificata ſuam virtutem recipiat, cui quidem *ius plenum in tale corpus* concedit. Si nunc, quando corpus quod corrumpitur adgravat animam, anima tamen illud movet tam facile & agit; quid non faciet illa ubi ab incorruptibili corpore non adgravabitur, quod aliquatenus expendebat *Auguſtinus* ſuperius *Cap. VI, pag.* 124. adductus? Quid quod videmus, quo corpus robuſtius eſt & bene compactum plus habere potentiae; cur non & tunc fieri id credam? Quod ſi potentia eſt alia impellere &

 mo-

Digitized by Google

movere; quanto maiore vi aliquando corpora ſolida & denſa alia impellunt, quam tenuia & ſubtilia?

Si igitur corpus Chriſti lucidum eſt, ſi flammeum, ſi glorioſum; ne credas quoad ſubſtantiam, ſed quoad gloriam. Nam nec quum in monte transfiguratus eſt, reſurrexerat, & carneum corpus adhuc gerebat, & tamen reſplenduit ſicut ſol, & mirae gloriae ac lucis radios coruſcabat. Non propria haec corporis ſunt, ſed corporis dotes ſunt adceſſoriae, & extrinſecus advenientes. Quidquid tu blateres, & proprium fuiſſe corpori contendas, & ex eo tamquam ex penito fonte emicare. Sed te vel *Glycas* noſter confutare poteſt, qui licet in multis tibi aduletur, tamen in hoc a te maxime diſcrepat, docetque corpora etiam terrena hominum, luce mira & radiis interdum munere divino inſigniri, *Epiſt. III. & V. pag.* 179. Iam prope te dicerem Palamitam, etſi non divinitatis eſſentiam, ſed ipſius corporis effluvium, ſplendorem illum eſſe dicis. Quamquam multum Palamitis accedis ubi de Chriſto transfigurato ita loqueris: *Chriſtus dum in terris eſſet, ſe totum lucidum reddidit in ſua transfiguratione: non lumen aliunde illapſum reflectendo; ſed ex ſe ipſo virtutem illam emiſit, qua corpus, vultum, & veſtitum, gloria imbuit, luce inundavit, & immerſit.* Sed ſi minus Palamita es, Chriſtum ſaltem in laternam occluſam ridicule convertis, ignem luciſque fontem altius in corpore ſuo ſervantem, & ubi libuerit, emittentem atque patefacientem. Nec eum iuvet quod *Auguſtinus Lib. XXII. De Civit. Dei Cap. XIX.* ait: nam ibi de glorioſo corpore, & Chriſto a mortuis excitato, loquitur; non autem de corpore corruptibili, & morti obnoxio. Inſuper aliter quomodo id fiat exponit.

Non

Non eſt haec corporis terreni natura ; ſed Dei glorificantis donum . Non eſt lumen e paſſibili Chriſti corpore erumpens ; ſed eſt ſplendor , quem Deus inhabitans creando coruſcat . Ita autem de glorioſo Chriſti reſurgentis corpore diſſerendo, nulla ſupereſt de forma clavorum in eodem corpore inhaerente difficultas ; nulla de eius manducatione ; nulla de eo quod tangi potuit . Atque ita explicandi ſunt Patres , qui id totum συγκαταβάσεως fuiſſe aiunt . *Clemens* enim Alexandrinus *VI.* ϛρωμ. de Chriſti reſurgentis comeſtione id pronunciat , quod Chriſtus tunc cibo non-indigeret ; ſed ut ſuae reſurrectionis, & ſui veri corporis, fidem faceret comedit & bibit. Eodem ſenſu loquitur *Ioannes Damaſcenus Lib. IV. De fide Orthodoxa Cap. I.* Eodem pariter modo accipiendi *Theophylactus in Caput XXIV. Lucae , & Beda in Cap. XX. Ioannis* ; quamquam maiorem obiicem opponere videtur *Chyſoſtomus Homil. LXXXVII. in Ioannem . Dignum autem* , inquit, *dubitatione quomodo corpus incorruptibile formam clavorum acceperit , & mortali manu tangi potuerit Sed hoc te non perturbet , hoc enim permiſſionis fuit* συγκαταβάσεως. *Corpus enim tam tenue & leve , ut clauſis ianuis ingrederetur , omni craſſitudine carebat ; ſed , ut reſurrectio crederetur , talem ſe exhibuit ;* in cuius ſententiam it quoque *Glycas* noſter *Epiſt. V.* Sed male heic Philoſophum agit *Chryſoſtomus ;* nam vere oſtenſum eſt, corpus licet tenuiſſimum , ut lucem , non poſſe aliud corpus penetrare; & ſi per poros & exiles meatus ſubeat , diſgregari & diſrumpi eius partes ; ergo alia virtute Chriſti corpus clauſis ianuis ingrediebatur. Quare iam non melius de forma clavorum, ſi eodem ſenſu accepit , philoſophatus eſt ; quum nulla neceſ-

ſitas fuerit, & nullum argumentum ſuppetat, credendi corpus Chriſti glorioſum omni craſſitudine caruiſſe. Quidquid corpus eſt, qualecumque eſt, tangi poteſt; & lux ipſa atque a r tangitur, eorumque impulſus ſentimus. Sed quid faciemus *Epiphanio in Concilio Nicaeno II. Act. VI.* Iconoclaſtarum illud effatum adprobanti, Chriſtum cum Patre iam ſedere, & tandem huc rediturum *οὐ μὲν σάρκα, οὐκ ἀσώματον δὲ*, ut videatur ab iis a quibus compunctus eſt, & maneat Deus extra craſſitudinem carnis? Quae quidem deducta ſunt ex *Oratione XL. Gregorii Nazianzeni*, de eadem materia agentis, & iisdem verbis utentis. Sed illa verba, *Non amplius quidem carnem, nec tamen vacantem corpore*, ab inſequentibus explicantur; non carnem ſcilicet craſſam & ponderoſam, ſed tenuem ac levem. Hinc ita haec concipiuntur: *Vt maneat Deus extra CRASSITVDINEM carnis*. Et in *Gregorio Nazianzeno*. *Vt Deus MOLIS omnis, & CRASSITIEI expers maneat*. Quae quidem verba citavit etiam eruditiſſimus *Glycas Epiſt. V. pag. 270.* carnem negans corpus noſtrum in reſurrectione futurum; quod quidem ibidem falſitatis revicimus. Ergo non ad ſubſtantiam carnis, ſed ad qualitates illi reſpiciunt. Et his in rebus non omnia a nobis noſci credendum eſt. Quare idem Nazianzenus ait ibidem de Chriſto: *Sed auguſtius diviniuſque corpus habentem, qualeque ipſe ſolus novit*. Praeclare igitur *Auguſtinus Epiſt. CXLVI. ad Conſentium*: *Quaeris utrum nunc corpus Domini oſſa & ſanguinem habeat, aut reliqua carnis lineamenta. Quid ſi adderes, utrum etiam veſtimenta; nonne augeretur quaeſtio, qua cauſa, niſi quia ea quae in uſu vitae huius noſtrae corruptibilia novimus, ſine corruptione cogitare vix poſſumus, quum divinorum miracu-*

raculorum quaedam documenta iam data ſint, ex quibus liceat coniectare maiora? Nam ſi veſtis Iſraelitarum per tot annos in eremo ſine tritura eſſe potuit, ſi morticina pellis calceamentorum tamdiu ſine labe duravit, poteſt ubique Deus quorumlibet corporum, per quantum voluerit tempus, incorruptam protendere qualitatem. Ego proinde Domini corpus ita in coelo eſſe credo, ut erat (in terra) quando adſcendit in coelum. Dixerat autem diſcipulis, ut in Evangelio legimus, de ſua reſurrectione dubitantibus, & illud quod videbant, non corpus ſed ſpiritum eſſe putantibus: Videte manus meas & pedes, palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere. Sic eorum quum eſſet in terra contrectatus eſt manibus, ſic eorum eſt quum iret in coelum deductus adſpectibus; ubi vox angelica ſonuit: Sic veniet quemadmodum eum videtis euntem in coelum. Fides adſit, & nulla quaeſtio remanebit. Niſi forte de ſanguine requirendum eſt, quia quum dixiſſet, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet: non addidit, ſanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere. Et de compendio ſi placet, finita ſit quaeſtio. Fortaſſis enim, accepta occaſione ſanguinis, urgebit nos moleſtior perſcrutator, & dicet: Si ſanguis, cur non & pituita, cur non & fel flauum, & fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari etiam medicinae diſciplina teſtatur. At non video qui ſibi conſtet *Burnetius*, ubi alibi de Chriſti corpore ait: *Praeterea convenit pariter utrimque, ni fallor, corpus Chriſti, quum reſurrexit a mortuis, iisdem, quibus antea, conſtitiſſe particulis: & quum adſcendit in coelum, easdem etiam retinuiſſe, & ad puritatem*

 coele-

coeleſtem evexiſſe virtute ſui ſpiritus vivifici. Sed video quid opinetur, factam ſcilicet fuiſſe fuſionem & reſolutionem illarum partium, qualis fit quum *corpora terrena purificantur, aut convertuntur in flammam*. At hic quo conceſſit eius Philoſophia? Nam ſi ita erit, quale tamdem corpus futurum eſt? Aut quomodo tamdem non abſumetur? Quum videamus omnia quae igneſcunt & accenduntur, conſumi tamdem deficiente materia, & interire? Num ad Dei potentiam recurres? Sed quae tunc neceſſitas, ut dixi, noſtram reiiciendi ſententiam, quae divinae potentiae ratione habita, tua Chemica portenta in reſurrectione non ſomniat? Memini, quum Lugduni eſſem, Dominum quemdam *A Campis*, qui mihi ſe verum philoſophum dictitabat, quod in tranſmutationem metallorum ſtolide incumberet, adſeruiſſe quondam, ubi dies mundi extremus adveniſſet, omnia inflammanda eſſe, & igne in cryſtalli & vitri ſpeciem convertenda, ita ut mirari eſſet Lugdunum & alias urbes, vitreas omnes: homines vitreos, vitrea, animalia, vitreas arbores & plantas; ſed ſi ad haec efficienda idonea vis ignis eſſet iuxta illum, *Burnetius* tamen non vitrea vult corpora vi ignis fieri, ſed ignem ipſum, flammam, lucem; qua vi & quomodo ipſe novit. Magna certe utriuſque capitis deliramenta.

Quum igitur conſtiterit quale ſit corpus Chriſti; & exploratae fidei ſit corpus noſtrum glorioſum conforme futurum glorioſo corpori Chriſti, iam patet quale & ipſum futurum ſit, quamque circa illud *Burnetius* deſipiat; patet quomodo glorioſum, hoc eſt lucidum ſit; quomodo ſit ἀχειροποίητον, ut illud vocat *Apoſtolus II. Cor. V. 1.*

hoc

hoc eſt, divina virtute perfectum & immutatum; non quod ille ſomniat, *inorganicum*: nam praeter abſurdam poteſtatem voci ſubiectam, nullum corpus vivens fingi poteſt, quod inorganicum ſit; etſi eadem, aut omnia, organa integra non ſervet. Et quidem quum Apoſtolus ἀλληγορικῶς ibi loquatur, & noſtrum corpus *tabernaculum* nuncupet, quo eius mortalitatem inſinuet; ut allegoriam ſervet, quum tabernacula manu fiant, debuit adpellare corpus immortale & coeleſte *non manufactum*, ut immortalitatis donum a Deo conceſſum indicet, & non ab homine; tabernaculumque eſſe doceat multo hoc temporario praeſtantius; quod video aliquatenus ſenſiſſe etiam *Io. Chryſoſtomum* & *Theophylactum*. Sed quid ſibi vult illud, corpus noſtrum erit ſpiritale? Non quidem quod vult *Burnetius*, corpus erit igneum & aethereum, ſpirituſque evadet, ſed quale illud *Auguſtinus* deſcribit *Epiſtola ad Conſentium CXLVI. Spiritale autem corpus, quod iam cum ſpiritu immortale eſt: quamvis nonnulli arbitrentur tunc fieri corpus ſpiritale, quum iam & ipſum corpus mutatur in ſpiritum, & quod homo erat ex corpore & ſpiritu; utrumque ac totum ſpiritus erit: quaſi dixerit Apoſtolus: Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Proinde ſicut animale corpus non eſt anima, ſed corpus; ita & ſpiritale corpus non ſpiritum debemus putare, ſed corpus*. Et ut exponit etiam *Lib. XIII. De Civ. Dei Cap. XX.* a quo non diſcrepat *Glycas Epiſt. V.* 253. At inquit *Burnetius*, ἰσάγγελλοι erimus, Chriſto ipſo id docente. Concedo profecto. Sed quid inde? Nullum aliud conſectarium video ex hoc, quam quod non nubemus, quum Chriſtus huc reſpexerit quando id dixit; & quod immortales erimus ſicut Angeli;

unde & nuptiae tamquam ſupervacaneae excluduntur. Id enim volunt illa *Lucae XX.* ἀποθανεῖν οὐκ ἔτι δύνανται, ἰσάγγελοι γάρ εἰσι. *Nec enim mori poſſunt amplius, pares enim ſunt Angelis*. Sed de his latius inferius agemus. Verum iuxta *Paulum*, inquit, beatorum corpus *caeleſte* erit; & *quum dicitur coeleſte, notat id materiam ex qua componitur. Quemadmodum enim hodiernum corpus conſtat ex materia terreſtri; ita corpus quod coeleſte dicitur, ex materia coeleſti conſtabit*. Sed qualis eſt haec materia coeleſtis? Ecce reſpondet, tamquam e tripode Sybilla, *Burnetius: Non eſt dura aut ſolida, inſtar vitri, cryſtalli, aut glaciei; ut e veteribus nonnulli ſomniabant. Sed eſt puriſſima aut tenuiſſima, ſicut aer aut aether: huiuſmodi proinde erit corpus noſtrum coeleſte*. Quid ſi materia coeli fumus eſſet, ut voluit eſſe primum coelum *Muhammedes* in *Alcorano Sur. III.* fumeumne corpus noſtrum futurum eſt? Sed quo tunc ignis, & flamma, & lux? Quam male ignis fumo permutatur? Quid ſi dicam nullam eſſe coeli materiam? Omne quod coelum vocatur eſſe vacuum; quod quidem caerulei coloris eſſe videtur, mixtione tenebrarum vacui, & candidorum radiorum lucis, ut id explicant Neutoniani? An non potius coeleſte corpus dicitur, quod qualitates coeleſtes induerit?

Nunc illud expendam quod *Burnetius* ait, ideam reſurrectionis iuxta obviam coeleſtium Scripturarum intelligentiam eſſe qualem vulgo tenemus & credimus; ſed revera id procedere quod divinae Scripturae penitus intellectae non fuerint, quum de duabus reſurrectionibus illae loquantur; & de prima verum ſit quod vulgo creditur; de ſecunda quod ipſe adfirmat. Scribit enim: *Eſt aliud praeterea obſervandum*,

unde

unde ſuborta eſt in tractando hoc argumento aliqua obſcuritas aut confuſio. Ex eo ſcilicet, quod non ſatis *diſtinxerint iidem Auctores reſurrectionem primam & ſecundam, ex mente veterum. Has enim diſtinxere ex antiquiſſimis Patribus multi, atque aliud nos genus corporis habituros eſſe in prima reſurrectione, aliud in ſecunda, ſtatuerunt. In prima quidem, corpus carneum, oſſeum, & ſanguineum, inſtar hodierni: ſed purius & perfectius, quale fuiſſe creditur Adami corpus in Paradiſo. In ſecunda autem reſurrectione erit corpus ſpirituale, coeleſte; Chriſti, ſecundi Adami, glorioſo corpori conforme: ſine carne & ſanguine, quale deſcribitur a Sancto Paulo in ſuo ſermone de reſurrectione ad Corinthios. Atque haec duo genera corporum poſt hanc vitam diſtinguebant Patrum quotquot (utique nec pauci, nec exigui nominis) millenne Chriſti regnum tuebantur. Aeque adhibita diſtinctione, quaeſtionibus ſupra propoſitis, de natura & de identitate corporum in reſurrectione, alio atque alio modo reſpondendum, prout de prima aut ſecunda reſurrectione quaeſtionem intellexeris. Si de prima, corpus quidem erit carneum, ſed non* idem numero *cum praecedenti. Si de ſecunda, erit quidem corpus idem numero cum proxime praecedenti, ſed non carneum, neque terreſtre. Proinde vides in hac lite nihil certo & exacte definiri poſſe, donec conventum fuerit de ſtatu cauſae: de unica nempe, aut duplici reſurrectione. Quaecumque autem diſſeruimus ſupra de reſurrectione, ex characteribus ſacris, reſpiciunt reſurrectionem ultimam & univerſalem, corpuſque coeleſte, quod tunc temporis habituri ſunt ſancti. Haec enim eſt notiſſima, & in ſacris Literis celebratiſſima reſurrectio: de qua etiam, ni fallor, ſuam diſſertationem unice inſtituit Apoſtolus Paulus.*

lus. De prima autem reſurrectione, in millenni regno Chriſti, & renovatione rerum, ſequenti capite acturi ſumus. Eaque expoſita, quid de tota hac materia ſtatuendum ſit, clarius eluceſcet. Sed quam gratis haec adſeruntur? Non me latet Papiam Hierapolitanum, Irenaeum, Iuſtinum Martyrem, Cyprianum, Lactantium, pluresque alios fuiſſe Chiliaſtas; ſed haec ſententia iam exploſa eſt, & eiecta certiſſimis rationibus & argumentis. *Burnetius* tamen crambem hanc recoctam obgerere voluit, & Chiliaſtarum errores homo fanaticus renovare non dubitavit integro tractatu, qui cum *Theoria ſacra telluris* circumfertur. At num propterea haec opinio, quia eam *Burnetius* defendit ac ſubſtinet, vera eſt? At ſi falſa eſt, ut quidem eſt, lateque oſtendit *N. Alexander T. I. Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XXVII. in Saecul. I. Art. II.* quid eius duplici reſurrectioni fiet? Deinde & ſi opinio Chiliaſtarum ſubſiſteret, quomodo tam abſurde ſcripturae loqui poſſent, ut reſurrectionem, ſecundam vocarent, quae nihil aliud eſſet quam corporis, quod iam reſurrexerat, immutatio in caeleſte & ſpiritale? Reſurrectio eſt eius quod cecidit, non eius quod ſtat & perſiſtit, licet tranſmutetur. Nulla itaque eſt ſecunda reſurrectio; nonniſi igitur de una Scripturae loquuntur; adeoque falſa eſt *Burnetii* opinio, utpote divinis oraculis contraria. Sed etſi ſecunda haec reſurrectio eſſet, *Burnetio* minus proſpere ſuccederet; nam is qui tam operoſa diſſertatione, & prolixis ambagibus identitatem corporum excitandorum negavit, tunc ſibi contradicens illam admitteret. Nam quum alicubi fateatur in prima reſurrectione eadem corpora futura, & de ea loqui Scripturas, ubi eadem corpora excitatum iri adſerunt; quidquid alibi

ali-

aliter dicat; iam in ſecunda reſurrectione eadem corpora remanebunt, ſed immutabuntur tantum, ad incorruptibilem conditionem evecta. Quod quidem de his, qui vivi in reſurrectione reperientur, ipſe concedit his verbis: *Convenit, opinor, utrimque, quoad corpora eorum qui reperientur inter vivos in adventu Domini: Ea ſcilicet mutatum iri immediate, manentibus iisdem particulis, aut earum magna parte*. Inſuper alibi addit: *Si quem vero tantus inceſſit amor ſui corporis terreſtris, ut eo carere nequeat, reſurgat & reddatur ei per me licet, ſub eadem forma & iisdem particulis, modo ſtatim immutandum concedat illud corpus terreſtre in coeleſte alterius formae & qualitatum*. Non tamen cum eo convenimus, quod modum attinet; neque id eventurum *quum reſoluta hac mortali compage membrorum, eadem materia (ſordibus exceptis) tranſmutabitur in aliam formam & in alias qualitates: utpote in easdem, quas habent corpora immortalia & incorruptibilia*. Id quod nos haud quaquam admittimus, quum partes omnes a Deo immortales & incorruptibiles reddendas credamus. Mutabuntur enim non peribunt. Ad rem Tertullianus de Reſurrect. Carnis: *Diſcernenda eſt autem demutatio ab omni argumento perditionis. Aliud enim demutatio, aliud perditio. Porro non aliud, ſi ita demutabitur caro, ut pereat. Peribit autem demutata, ſi non ipſa permanſerit in demutatione, quae exhibita fuerit in reſurrectione. Quemadmodum enim perit, ſi non reſurgit; ita etſi reſurgit quidem, verum in demutationem ſubducitur, aeque perit. Aeque enim non erit, ſi non reſurrexerit. Et quod ineptum, ſi in hoc reſurgit, ut non ſit, quae potuit non reſurrexiſſe, nec eſſe: quia non eſſe iam coeperat. Non miſcebuntur omnino diverſa, mutatio atque perditio, operi-* bus

bus utique diverſa. Perdit haec, illa mutat. Quomodo ergo quod perditum eſt, mutatum non eſt: ita quod mutatum eſt, perditum non eſt. Periſſe enim eſt in totum non eſſe quod fuerit? Mutatum eſſe, aliter eſſe eſt. Sed porro dum aliter eſt, idipſum poteſt eſſe: habet enim eſſe quod non perit. Mutationem enim paſſum eſt, non perditionem. Atque adeo poteſt & demutari quid & ipſum eſſe nihilominus, ut & totus homo in hoc aevo ſubſtantia quidem ipſe ſit, multifariam tamen demutetur, & habitu, & ipſa corpulentia, & valetudine, & conditione, & dignitate, & aetate, ſtudio, negotio, artificio, facultatibus, ſedibus, legibus, moribus, nec quidquam tamen admittat homini, nec ita alius efficiatur, ut ceſſet id eſſe: imo nec alius efficitur, ſed aliud. Hanc formam demutationis divina etiam documenta teſtantur. Mutatur Moſei manus & quidem ad inſtar emortuae, exſanguis & exalbida, frigida, ſed & recepto calore, & refuſo colore, eadem caro & ſanguis eſt. Mutatur poſtea & facies eiuſdem, incontemplabili claritate. Sed Moyſes erat proinde qui non videbatur. Sic & Stephanus angelicum iam faſtigium induerat, ſed non alia genua in lapidatione ſucciderant. Dominus quoque in ſeceſſu montis etiam veſtimenta luce mutaverat, ſed lineamenta Petro agnoſcibilia ſervaverat. Vbi etiam Moyſes & Helias, alter in imagine carnis nondum receptae, alter in veritate nondum defunctae, eamdem tamen habitudinem corporis, etiam in gloria perſeverare docuerunt. De quo exemplo inſtructus & Paulus: Qui transfiguravit, inquit, corpus humilitatis noſtrae conformale corpori gloriae ſuae. Quod etſi transfigurationem & converſionem in tranſitum ſubſtantiae cuiuſque defendis: ergo & Saul in alium virum converſus, de corpore

ſuo

ſuo exceſſit. Et ipſe Satanas quum in Angelum lucis transfiguratur, qualitatem ſuam amittit. Non opinor. Ita & in reſurrectionis eventum mutari, converti, reformari licebit cum ſalute ſubſtantiae.

Sed & Patrum traditioni huiuſmodi opinio contraria eſt, quoad ex iam dictis ſatis elucere arbitror; & unus pro cunctis audiatur *Hieronymus* Pammachio & Oceano ſcribens, & *Burnetianum* errorem in Origene, ſectatoribuſque confutans. *Credimus, inquiunt, reſurrectionem futuram corporum. Hoc ſi bene dicatur, pura confeſſio eſt. Sed quia corpora ſunt coeleſtia & terreſtria, & aer iſte & aura tenuis, iuxta naturam ſuam corpora nominantur: corpus ponunt non carnem, ut* Orthodoxus *corpus audiens, carnem putet: haereticus ſpiritum recognoſcat. Haec eſt eorum prima decipula, quae ſi deprehenſa fuerit, inſtruunt alios dolos, & innocentiam ſimulant, & malicioſos nos vocant, & quaſi ſimpliciter credentes, aiunt: Credimus reſurrectionem carnis. Hoc vero quum dixerint, vulgus indoctum putat ſibi ſufficere, maxime quia idipſum & in ſymbolo creditur. Interroges ultra; circuli ſtrepitus commovetur, fautores clamitant: Audiſti reſurrectionem carnis: quid quaeris amplius? Et in perverſum ſtudiis commutatis, nos ſycophaniae: illi ſimplices adpellantur. Quod ſi obduraveris frontem, & urgere coeperis, carnem digitis tenens, an ipſam dicant reſurrecturam, quae cernitur, quae tangitur; quae incedit & loquitur: primo rident, deinde adnuunt. Dicentibuſque nobis, utrum capillos & dentes, pectus & ventrem, manus & pedes, ceteroſque artus ex integro reſurrectio exhibeat: tunc vero riſu ſe tenere non poſſunt, cachinnoque ora ſolventes, tonſores nobis neceſſarios & placentas, & medicos, ac*

ſu-

ſutores ingerunt. Vtroque interrogant, utrum credamus & genitalia utriuſque ſexus reſurgere, noſtras genas hirtas, feminarum leves fore, & habitudinem corporis pro maris ac faeminae diſtinctione diverſam. Quod ſi dederimus, ſtatim expetunt vulvam & coitum, & cetera quae in ventre ſunt & ſub ventre. Singula membra negant, & corpus quod conſtat ex membris, dicunt non reſurgere. Non eſt huius temporis contra dogma perverſum, rhetoricum iactare ſermonem. Non mihi dives Ciceronis lingua ſufficiat: non fervens Demoſthenis oratio, animi mei poſſit implere fervorem, ſi velim haereticorum fraudolentias prodere, qui verbo tenus reſurrectionem fatentes, animo negant. Solent enim mulierculae eorum mammas tenere, ventri adplaudere, lumbos & femora & putres attrectare axillas, & dicere: Quid nobis prodeſt reſurrectio, ſi fragile corpus reſurget? Et futurae Angelorum ſimiles, habebimus & naturam? Dedignantur videlicet cum carne & oſſibus reſurgere, cum quibus reſurrexerit & Chriſtus. Hactenus quidem *Hieronymus*. Sed regerit *Burnetus*: *Quidquid ſtatuerint, ſive Concilia, ſive Patres, cedendum eſt ſacris litteris & rationi*. Bona verba quidem. Iam ſacras litteras *Burnetio* adverſari demonſtravimus, nec ſua ratione multum proficere. Non enim *Burnetii* ratio, ea ratio eſt, quae cuncta dirigit ac diſponit, aeternaque lege omnia ducit ac colligat. Sed ſunt deliria, qualia iam multa redarguimus, ut corpus terrenum in coelo conſiſtere non poteſt, quod quam falſum ſit oſtendimus *Capite VI.* corpus tenue alia corpora penetrare poteſt, & ianuis clauſis in aedes ingredi, quod quam rationi contrarietur, ſtatim vidimus; & id genus ſexcenta ſomnia, & paralogiſmi. Num cedendum eſt huic ratio-

rationi? Sed recta ratio ſit quam *Burnetius* perſequitur, numquid ſi quid ratio humana in Chriſtianae ſapientiae placitis minus intelligere ac comprehendere poteſt, ſtatim non eſt admittendum? Numquid divina potentia eos faciendi fines ſibi praeſcripſit ut nihil moliretur, niſi quod homines intelligere & comprehendere poſſent? Humanus ne captus omnipotentiae menſura erit? *Paulus* dicit reſurrectionem mortuorum *myſterium eſſe*. Quis igitur cognovit ſenſum Domini, aut conſiliarius eius fuit? Nihil quidem a Deo contra rationem fit; multa tamen ſupra rationem humanam. Nam quidquid Deus facit ratione facit, quum ipſe ratio ipſa ſit; & ratio numquam ſine ratione eſſe poſſit. Ideo ſatis & luculenter ſuperius oſtenſum eſt, nihil eorum, quae in reſurrectione mortuorum eventura Eccleſia docet, rationi repugnare, etſi ea mens humana minus intelligat.

Burnetii *opiniones ulterius confutantur; & De Angelorum Daemonumque corporibus iuxta veteres Theologos, Platonicoſque, diſſeritur.*

CAP. XI.

Sed res *Burnetio* confecta videtur, ſi oſtendat corpora beatorum, eſſe eadem cum Angelorum corporibus. Sed audiamus ipſum ita *Cap. VIII.* ſcribentem; *Vltimus character deſumitur a paritate Beatorum*

torum in coelo cum Angelis. Chriſtus dicit ad Sadducaeos, filios reſurrectionis fore ἰσαγγέλους, ſimiles Angelis. *Quod quidem adſpectu primo reſpicit nuptias & concubitum, aliis tamen non excluſis. Imo, ea occaſione, ſententiam magis generalem Chriſtus ediſiſſe videtur, qua paritas filiorum reſurrectionis cum Angelis, ad plura poſſit, & debeat extendi. Et ad plura quidem extenditur a Sancto Luca, qui hoc dictum Chriſti ita profert :* Qui vero digni habiti fuerint, qui ſaeculum illud conſequantur & reſurrectionem ex mortuis, neque ducunt uxores, neque nuptui dantur. Neque enim mori poſſe amplius, dicendum eſt pares enim ſunt Angelis, οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν δύνονται, ἰσάγγελοι γάρ εἰσι. *Ex his verbis, primo, conſtare mihi videtur, Angelos habere corpora; dein nos talia habituros eſſe corpora, qualia habent Angeli : ac proinde inorganica. Quoad primum. Si paritas illa Beatorum cum Angelis conſiſtit tantum in parte ſpirituali utriuſque, non in corporibus : tum corpora noſtra, poſt reſurrectionem, poſſunt eſſe mortalia, non obſtante hac paritate. Chriſtus autem dicit, propter hanc paritatem nos amplius mori non poſſe. Oportet igitur, corpora utriuſque ſive partem corporalem reſpiciat haec paritas : morimur enim, ſeu mortales ſumus, ratione corporis tantum : ſive in hac vita, ſive quavis alia. Praeterea haec immortalitas & paritas cum Angelis, de quibus loquitur Chriſtus, ſunt privilegia reſurrectionis, vel nobis accedunt poſt reſurrectionem, aut immortalitas animae ſemper fuit : & quae nobis advenit per & poſt reſurrectionem, eſt immortalitas corporis. Hoc igitur reſpectu futuri ſumus pares Angelis. Denique ſimiles eſſemus Angelis potius ante reſurrectionem, quam poſt, ſi Angeli non habent corpora.*

pora. Angelos non eſſe nudas ſubſtantias ſpirituales, ſed veſtiri corporibus ſui generis & ordinis, id praeterea demonſtrare mihi videtur, quod conſtituturi ſint comitatum & ſatellitium Chriſti in ſuo adventu glorioſo. Oportet igitur, ut ſint viſibiles & corporibus induti, iiſque nobilioris ordinis: ut coeleſtis illius pompae maieſtatem & magnificentiam augeant & expleant. Nec ſuſtinebis, opinor, dicere, habituros quidem corpora tunc temporis, ſed mutuatitia, vel facta ex aere, pro re nata; diſſipanda iterum, aut deponenda, ubi finitum fuerit ſpectaculum. Haud patieris, inquam, hoc dici, Chriſtum quidem rediturum eſſe comitatiſſimum, ſed phantaſmatibus: fugitivis umbris millies mille, & inanibus viſis; & huiuſmodi larvatos Angelos ſolium Dei in coelis circumdare. Porro, quum dicitur in ſacris Litteris, Satanam ſe transformare quandoque in Angelum lucis: *illa metamorphoſis ſupponit Angelum lucis habere aliquam externam formam, aliquam ſpeciem viſibilem, qua dignoſcitur & diſtinguitur. Id vero, quidquid ſit, habere non poſſunt abſque omni corpore. Et quoad malos Angelos in genere, quum ſint capaces poenae & cruciatus per ignem corporeum, eoque deſtinati, exinde patet hos ſpiritus degeneres ſua habere qualiacumque corpora. Dein ex altera parte, Sanctis & Beatis nihil ſocietatis aut commercii intercedere poteſt cum bonis Angelis, niſi hi, perinde ac illi, ſint aliquo modo viſibiles & incorporati. Denique, ut hoc addam, ecquis ſanae mentis, atque operum Dei aequus aeſtimator, rem ſecum reputans, credere poteſt bona fide & ex animo, regiones coeleſtes & aethereas, quantas quantas, vacuas eſſe omni creatura intelligente viſibili, omni animali ratione praedito praeter paucculas animas humanas? Quantas opor-*

tet fingere in rerum natura ſolitudines & eremos? Ad quas tamen ſuis incolis replendas, Deo Optimo Maximo, rerum Conditori, nec potentia defuit, nec bonitas. Quod ſi nobiſcum ſtatuas, Angelos habere corpora ſui generis & ordinis: non quidem organica: (Quid Angelis enim cum oſſibus, artubus, viſceribus, aqualiculo, aut membrorum compage?) ſed lucida & aetherea: quemadmodum e Patribus non pauci ſtatuerunt, ut alibi dictum eſt: atque his corporibus Angelicis noſtra fore ſimilia ſi concedas; Ex hac hypotheſi, Deo, univerſitatis Opifici, conſtabit ſuus honos: Coelo ſuus adparatus, & illuſtrium incolarum exercitus: Nobis denique cum Angelis vitae ſocietas, iiſque par & cognata corporis animique indoles & immortalitas.

Sed expendamus ſingula. Iam quod ex Evangelio adducitur, nos ſcilicet in reſurrectione ſimiles Angelis futuros, a nuptiis abſtinentiam, & immortalitatem tantum reſpicit, quod ſuperius *Auguſtinus* luculenter oſtendit *pag.* 170. & nos pariter animadvertebamus. Quod ergo ait, ex hoc loco conſtare Angelos habere corpora, conſectarium non exſiſtit; multo minus quod ea corpora ſint *inorganica*. Nam ſi inde ſimilitudinem corporum Angelorum cum corporibus reſurgentium inferre licet, potius ea eſſe *organica* confirmabimus: Nam ea Chriſti verba iuxta *Hieronymum*, organa corporis, & ſexuum diſcrimen indicant. Nam, ut ipſe ait, *Non de lapide & ligno dicitur, non nubent neque nubentur, quae naturam nubendi non habent; ſed de iis qui poſſunt nubere*. Id quod & *Auguſtinum* deduxiſſe *pag.* 170. ſuperius vidimus. Et totum id, quod deinde diſputat, uſque ad illud *ſi Angeli non habent corpora*, falſa hypotheſi innititur, hoc eſt, quod Chriſtus di-

xerit

xerit noſtra corpora futura corporibus Angelorum ſimilia ; quum alium omnino ſignificare voluerit, ut oſtenſum eſt. Sed, inquit, *Auguſtinus in Pſalmum LXXXV.* ad illa verba : *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*, *Talia*, inquit, *erunt corpora noſtra poſt reſurrectionem*, *qualia ſunt Angelorum corpora*. Et in *Pſalmum CXLV.* non procul ab initio, corpus noſtrum caeleſte adpellat *corpus Angelicum*. *Tertullianus* ſuo modo adpellat, *carnem Angelificatam Libro De Reſurrect. carnis Cap. XXVI.* & *demutationem in ſubſtantiam Angelicam Lib. III. contra Marcionem Cap. ultimo*. *Lactantius*, *transformationem in ſimilitudinem Angelorum Lib. VII. Cap. XXVI.* Deinde rogat ut conſulamus, quum vacat, plura loca *Auguſtini*, ubi eumdem prodit ſenſum, ut *Epiſtola III. ad Fortunatian. Lib. II. de Geneſ. ad litter. Cap. XVII. Lib. III. Cap. X. Lib. XII. Cap. XXXV.* Ipſe autem *Burnetium* rogo, ut attentius Opera laudatorum Patrum legat, & illis loquutionibus quid vere ſibi voluerint, melius intelligat. Certe ſi evolvat, quae ex *Auguſtino* ſuperius *Cap. IX. pag.* 147. attulimus, numquam dicet *Auguſtino* haec in mentem veniſſe ; & multo minus ſi perlegat ea etiam, quae de carnis reſurrectione in *Enchiridio ad Laurentium* diſſertat. Rogo autem in primis ut *Tertullianum* laudato libro *De Carnis reſurrectione* legat & perlegat, totumque conſideret, ne in ſuam ſententiam invitum *Tertullianum* trahat, qui eodem libro ſuam *Angelificatam* carnem ita exponit, ut nec nos ludificet, & *Burnetium* mendacii & malae fidei revinciat : *Sed huic diſceptationi*, *finem dominica pronunciatio imponit*. *Erunt*, *inquit*, *tamquam Angeli*.. *Si non nubendo*, *quia nec moriendo*, *utique nec ulli ſimili neceſſitati ſuccidendo corporalis conditionis*.

nis. Quia & Angeli aliquando tamquam homines fuerunt, edendo & bibendo, & pedes lavacro porrigendo. Humanam enim induerant ſuperficiem, ſalva intus ſubſtantia propria. Igitur ſi Angeli facti tamquam homines in eadem ſubſtantia ſpiritus carnalem tractationem ſuſceperunt, cur non & homines facti tamquam Angeli in eadem ſubſtantia carnis, ſpiritalem ſubeant diſpoſitionem, non magis ſolemnibus carnis obnoxii, ſub Angelico indumento, quam Angeli tunc ſolemnibus ſpiritus ſub humano? Nec ideo non permanſuri in carne, quia non & in ſolemnibus carnis, quum nec Angeli ideo non & in ſpiritu permanſerint, quia non & in ſolemnibus ſpiritus. Denique non dixit, erunt Angeli, ne homines negaret: ſed, tamquam Angeli, ut homines conſervaret. Non abſtulit ſubſtantiam, cui ſimilitudinem attribuit. Ecce verus verborum laudatorum Patrum ſenſus; ecce ut contra *Burnetium* Iuriſconſulti axioma procedit, quod habetur in *L. Incivile ff: de Legibus*. Quam melius divina dicta Muhammedanus *Avicenna* intellexit *Cap. III. De Almahad* nil aliud percipiens in illo *erunt ſicut Angeli Dei in coelo*, quam quod *erunt ſicut Angeli non comedentes, neque bibentes, neque coeuntes*, quae ſunt eius ipſiſſima verba, ut ab *Andrea Alpago* in Latinum ex Arabico converſa fuere.

Alia autem argumenta, quibus *Burnetius* Angelis corpora vendicare conatur, levia admodum ſunt, & quae facile ſolvi queant, ut a Theologis, & Philoſophis doctiſſimis iam oſtenſum eſt. Nam non video cur in comitatu Chriſti etiam Angeli ſine corporibus eſſe non poſſint; cur transfiguratio Satanae in Angelum lucis ἀλληγορικῶς accipienda non ſit; cur Daemones ſine corporibus cruciari non valeant?

Cur

Cur coeli regiones non poſſint habere alios incolas corporibus inſtructos praeter Angelos; aut ſi Angeli corporibus nudi eas habitant, non ſatis habitatae ſint & frequentes?

Sed quoniam vult *Burnetius* ut, an Angeli corpora habeant, conſideremus, & in corporum Angelicorum naturam & qualitates inquiramus, illis verbis: *Quare illis auctor ſum, ut primum expendant, num Angeli habeant corpora: dein qualia ſint*; proferam heic Diſſertationem, quam olim vernante adhuc aetate conſcripſi, *De Angelorum & Daemonum ſtatu*, dum Theologiam Platonicam cum Chriſtiana contenderem; ut cognita Angelicorum corporum, ſi verum eſſet Angelos iis inſtrui, natura & indole; videamus etiam quam falſo ea *inorganica* a *Burnetio* dicantur; & quam id ſolus ipſe ſomniaverit. Nam exſtabit, ſi minus eadem organa ac nos Angeli habeant, tamen aliis organis noſtris non omnino diſſimilibus eos praeditos eſſe, ex veterum Theologorum, Philoſophorumque ſententia. Hinc eorum preſentiae, eorum Epulae, eorum concubitus, eorum colloquia, ambulatus, incurſus, comitatus, peregrinationes, & quaecumque propria hominum ſunt; & quae ſine inſtrumentis humanis ſimilibus peragi perficique non poſſunt. Et eo lubentius eam Diſſertationem profero, quo perſpectius habeo multa in ea iuxta etiam Philoſophorum Ethnicorum placita tractari, quae fruſtra in aliis, qui de Angelorum corporibus egerunt, ut *Petavio*, *Gregorio a Valentia*, ceteriſque quaeſiveris. Illa autem eſt quae ſequitur.

De Angelorum & Daemonum Statu Digreſſio.

Et ſi nonnulla, quae ad ſtatum Angelorum pertinere videri poſſunt, obiter iam ſuperius attigimus, huius rei modo tractatio inſtituenda eſt, de eaque late diſſerendum. Virum egregium, & multa doctrina praeſtantem, *Auguſtinum*, animarum nomine Angelos alicubi indigitaſſe memoravimus, deleviſſe itidem, ſeu potius retractaſſe deinde, quod dixerat; *L. I. Retract. Cap. XI.* quod numquam in divinis litteris animas Angelis vendicari liquido comperiſſet; cui tamen mirificus ille *Adamantius* praeluxerat, *L. II.* περὶ ἀρχῶν, caeleſtium oraculorum teſtimoniis animis Angelos eſſe praeditos probari poſſe negans, quamquam eosdem eſſe animantes nullus dubitat, quod & rationibus evincere nititur. Cui libenter & adſenſum praeſtet *Auguſtinus*, qui *L. III. De Geneſ. ad lit. Cap. X.* Apuleii, ceterorumque Platonicorum omnium veſtigiis inſiſtens, aerea daemonas animalia eſſe praedicat, corpora ex aere concreta illis tribuens, ſicuti Angelis coeleſtia. Quae quum ita ſe habeant, cur eſſe quidem animalia & fateantur & doceant, & habere animas adfirmare reformident, haud plane intelligo; quum animalia nonniſi ex anima & corpore coaleſcere perſpicuum ſit. Verum parum noſtra refert, qua mente id dixerint, perveſtigare: modo illud ratum firmumque ſit, nullo omnino corpore Angelos adſeruiſſe numquam, ſed vel coeleſtibus vel aereis corporibus uniter aptos exiſtimaſſe. Quae quidem ſententia illuſtriſſimos alios Eccleſiae Patres fautores habet, quandoquidem in eam iverunt inter Gre-

cos *Irenaeus* Lugdunenſis Epiſcopus, *Iuſtinus* Martyr & Philoſophus, *Tatianus* Aſſyrius, *Athenagoras*, *Clemens* Alexandrinus, *Methodius*, *Athanaſius* pariter Alexandrinus, *Euſebius* Caeſarienſis, *Baſilius Magnus*, *Caeſarius* Gregorii Nazianzeni frater, & *Ioannes* Theſſalonicenſis, quibus addere iuvat Iudaeum Hiſtoricum *Ioſephum*, & Chriſtianum Philoſophum *Michaelem Pſellum*; inter Latinos vero in hac haereſi ſunt, *Caecilius Cyprianus*, *Minutius Felix*, *Lactantius*, Stridonienſis *Hieronymus*, *Severus Sulpitius*, *Claudianus Mamercus*, *Gregorius Magnus*, *Bernardus* Claravallenſis, quibus facile adiungerem *Tertullianum*, *Hilarium* Pictavienſem, *Ioannem Caſſianum*, *Fauſtum* Regienſem, *Paſchaſium* Romanae Eccleſiae Diaconum, *Rupertum* Abbatem, *Raimundum Lullum* ſi minus viderem eos non tantum corpora adnata Angelis adſerere, quantum omnino corporeos, & totos corpora illos praedicare, quamquam tenuia, & exilia, & quae vel tantum intelligentia percipiantur, quum nihil prorſus praeter Deum incorporeum admitterent; & forte nec ipſum Deum *Tertullianus*. Verum quum iſta a Platonica doctrina quam maxime abhorreant, & iam omnium Theologorum iudicio eiecta ſint, atque exculcata, & nos haud iniuria reprobamus, & ullam eorum rationem habere negligimus. Virum tamen & ſcientia, & dignitate eminentiſſimum haud fas praetermittere, qui quamquam proximis ſaeculis floruerit, antiquiorum tamen ſententiae non parum momenti ſua auctoritate addiderit, *Thomam* Caietanum; hic enim *Comm. in Cap. II. Epiſt. ad Epheſ.* veterum placita ſequutus, Daemones aerea animalia eſſe dicit; & ne haec ab illo quaſi dictata reddantur, ratione ad hoc conquiſita firmare contendit. Nos tamen non multum, quibus

haec

haec naturalibus rationibus comprobentur, ſoliciti ſumus, in hoc unum incumbentes, ut Platonis in hoc decreta Chriſtianae Philoſophiae conſona demonſtremus; quapropter ſacrarum tantum Scripturarum teſtimonia adferemus in medium, quibus ſententiam ſuam laudati Scriptores conantur adſtruere. Et primum *Origenes Prooem. in lib.* περὶ ἀρχῶν argumentum ad huius opinionis veritatem indicandam minime contemnendum exiſtimat, altum in coeleſtibus litteris de natura ulla incorporea ſilentium, ignotumque ipſis ἀσωμάτε vocabulum; iure flocci pendens id, quod ex libro Aprocryho, cui titulus eſt *Doctrina Petri*, in contrarium adducitur, Chriſtum ſcilicet Apoſtolis colloquentem dixiſſe: *Non ſit Daemonium incorporeum*; ſimulque animadvertens, & ſi forte umquam in Scripturis ſanctis *incorporei* vocabulum occurrat, eo ſenſu illud demum accipiendum, ut non ſimpliciter, ſed comparate dictum intelligatur; incorporeum ſcilicet videri id, quod ſubtile, & tenue eſt, & prope inſenſile, craſſis & ſolidis, tactuque obnoxiis, quibus nos circundamur, corporibus comparatum. Id quidem, quod cautum fecit Theſſalonicenſem Praeſulem *Ioannem*, qui quum adverſus ſacrilegos Iconomachos in quinta Synodo ageret, obiicem omnem, qui Venerabilium Patrum ſententiae reſiſteret, remoturus haec addidit: εἰδέπε εὕροις ἀσωμάτες καλεμένους τὲς ἀγγέλες, ἢ δαίμονας, ἢ ψυχάς, ὡς μὴ ὄντας ἐκ τῆς συμμίξεως τῶν ὑλικῶν τεσσάρων στοιχείων, καὶ τοιαῦτα σώματα παχέα καὶ ἀντίτυπα, ὡς ἡμεῖς περικείμεθα, ὅπως αὐτὲς προσηγόρευσαν. τῷ ὄντι γὰρ ὡς πρὸς ἡμᾶς ἀόρατοί εἰσιν. hoc eſt, *Si umquam vero Angelos, ſeu Daemones, ſive animas, incorporeos adpellari repereris, tamquam non ex commixtione quatuor materiatorum*

ele-

elementorum conſtantes , neque corpora craſſa , & ſolida , prout nos , habentes , ita illos adpellaverunt . Ei enim , qui quemadmodum nos , ſe habet , minime ſunt adſpectabiles. Quibus forte verbis illorum ſe turbae adgregat , quos nihil , praeter Deum , incorporei admittere dignantes poſtremo loco recenſuimus. Hinc vis omnis elanguet, & plane deficit momentum, illius argumenti , quod ex ambiguis conſtitutionis , quam Concilium in Aedibus Lateranenſibus tertium coactum edidit, verbis , ſatis imbecillum , conficitur a contraria ſentientibus. Quamquam enim in illa *Deum ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidiſſe creaturam , ſpiritualem & corporalem , Angelicam videlicet & mundanam* , verbis fere totidem , veriſſime definitum eſt ; haec tamen *Origenis* , & *Ioannis* expoſitionem , & haud quidem invita , receperint , quod & recentiores Theologi recte obſervarunt. Sed ne *Origenis* argumentum videatur infirmius, utpote quod ſola nititur taciturnitate Scripturarum , a quibus non omnem ſemper veritatem pandi exploratiſſimum habemus ; laudati *Caeſarius* , & *Ioannes* , & Viennenſis Eccleſiae ſophiſta *Claudianus* , perſpicuum ex indubitatis oraculis teſtimonium ad ſuam ſententiam roborandam confirmandamque adferunt , illud ſcilicet divini Cantoris , a *Paulo* Apoſtolo deinde ad Ebraeos ſcribente repetitum : *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus , & miniſtros ſuos ignem urentem , ſeu flammam ignis* . Et ſiquis ἀλληγορικῶς locum hunc conetur exponere , lapidem lavare, ut aiunt , & oleum & impenſam perdere , memoratus *Claudianus* exiſtimat. At idem inſuper Scriptor acutiſſimus *Euſebii Hieronymi* , & *Ioannis Caſſiani* , opinioni favens ſatis explicate Angelorum ſeu Daemonum corpora a di-

vo

vo Paulo indicari arbitratur, prima ad Corinthios Epiſtola *corpora coeleſtia*, & *corpora terreſtria* memorante. Quod ſi apertius adhuc deſideretur oraculum, quamquam & huius poſtremi auctoritate id perſuaſiſſimum habet *Michael Pſellus*, illud adferat abſtruſioris doctrinae homo, *Caietanus*, qui docte & perſpecte ſapiens, aerea Daemonibus corpora a Paulo vindicari cenſet, ubi ad Epheſios ſcribens, ait: *Secundum Principem poteſtatis aeris, ſpiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae*. Quae quidem omnia pluribus exequuti ſumus, ut a Chriſtiana doctrina Platonem minime diſſentire liqueret, Deos Daemonaſque certis ſui generis corporibus innexos circumſeptoſque introducentem in *Timaeo*, & *Epinomide*. Si vero lubet illorum Platonicorum ſententiae accedere, qui & Deos quoſdam nullo corpore ut ſupra innuimus, eſſe adfirmant, quos quidem ὑπερκοσμίους adpellant; Dei ſummi contemplationi tantum addictos, Platonis dogmata partim cum Theologorum illorum credulitate conciliabimus, qui Angelos eſſe corporis prorſus exſortes perſuaſibiliter docent: *Auguſtino* vero, qui pravis Daemonibus tantum, *Libro III. de Geneſi ad litteram Cap. X.* corpora tribuere videtur, concordes illos multo magis dixiſſem, ſi minus poſtea, quamquam dubitanter, reprobis Angelis vindicaret ibidem, & alibi quidem adſereret adfirmate in *Enchiridio*. Hic tamen blandiri *Porphyrio* videretur ſcribens *De diverſ. quaeſt. LXVIII. ſpiritualiter ſummos Angelos vivere, infimos vero animaliter*, niſi audacius dictum de infimis, quam ut poſſet vel Scripturis Sanctis, vel ipſis rebus oſtendit; quia & ſi forſitan poſſet, difficillime poſſet, adſumta in ſeipſum virga cenſoria notaſſet *Retract. L. I. Cap. XXVI. Porphyrius*

enim

enim ſi *Iamblycho De Myſter.* fides Deos puros intellectus eſſe dixit, Daemonas vero intellectus animales, a quo non multum diſcrepare *Plotinum*, liber quem hic *De Amore* inſcripſit *Cap. VI.* haud obſcure indicat. Pereruditus ille *Fauſtus*, qui de ſuae Eccleſiae nomine Regienſis adpellatur, *Tract. Quod nihil ſit in rebus creatis incorporeum*, Claudianum Mamerquum ἀνταγωνιστὴν cauſa poene periclitatum oſtendit, quod Angelos fatali ruina de ſedibus coeleſtibus deturbatos, concreta ex aere corporum involucra ſuperinduiſſe contenderet; atque ita in ea fuiſſe ſententia ſubindicat, ut Angelos corporatos partim, partim corpore omni ſolutos exiſtimaret. Verum quum illum mendacii & calumniae arguat *Claudianus L. 3. De ſtat. an. Cap. VII.* ſe id umquam dixiſſe vel ſenſiſſe negans, haud quidem laudatorum Platonicorum fidei ſuppetias tulerit. Ratio illis potius faveret, qua Patrum nonnulli ad corpora Angelis tribuenda impelluntur, eos ſcilicet a Beato Apoſtolo λειτουργικὰ πνεύματα dici εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, *miniſtratorios*, videlicet, *ſpiritus in miniſterium miſſos propter eos, qui ſunt hereditatem ſalutis adituri. Quomodo ergo*, exclamat hic Claravallenſis Praeſul, *Serm. V. in Cantic. implent miniſterium ſuum abſque corpore, praeſertim apud viventes in corpore? Denique non eſt diſcurrere, nec de loco ad locum tranſire, niſi corporum, quod frequenter Angelos facere tam indubitata, quam nota probat auctoritas. Hinc eſt quod & viſi ſunt Patribus, & ad eos intraverunt & manducaverunt, & pedes laverunt.* Ita quidem *Bernardus*, cui iam *Gregorius Magnus* facem praetulerat in *Moralibus*. Sic enim eos tantum corporibus adnatis implicari opinandum occurreret, quos homi-

hominum curae & tutelae deſtinatos, & veluti miniſteria, intelligimus, quemadmodum & quos orbis terrarum praeſides, & tamquam huius univerſitatis aedituos divina providentia conſtituit; reliquis circumiecto cuiuslibet corporis integumento liberis, ut qui tantum Dei contemplationi incumbentes perpetuo illum cultu & obſervatione venerantur. Pravis quoque Daemonibus neceſſaria eſſe corpora facile comprehendimus, qui nihil antiquius habent, quam inſidias mortalibus ſtruere, & qua aperta vi, qua clandeſtinis conatibus luctam cum illis exercere perpetuam. Sed quum generaliter Angelos omnes miniſtratorios ſpiritus adpellet *Apoſtolus*, vereor ut falſo corporibus partim illigatos, ſolutos exemtoſque partim quis inde ſubſpicetur. Haud tamen hic animadvertere ſuperſederim, ſimplicius faciliuſque ea, quae de Angelorum praeſentiis, & occurſibus, in litteris arcanis habentur, explicaturos eſſe nos, ſi illos habere corpora non diffitebimur; quando abſurdum alioquin incongruenſque videtur, eas naturas, quae hominum curae & miniſteriis addicendae erant, iis inſtrumentis, quibus ad ſua munera obeunda maxime indigerent, naturaliter inſitis defici; ſed adſumtis adventitiiſque formis, non tam hominibus adparere, quam illudere. Verum de hiſce unuſquiſque ſentiat, ut lubet, nullum enim reperire eſt certum explicatumque Eccleſiae ſcitum, quod rei dubietatem dirimat, & rixas incertorum Theologorum componat. Contrariam certe ſententiam communi recentiorum poene omnium conſenſu receptam eſſe, & calculi; frequentioribus comprobatam, animi parum ingenui eſſet diſſimulare; inficiari, etiam impudentis. Antiquorum nonnullis, ut *Gregorio* Nazianzeno, *Ioanni Chryſoſtomo*, *Dionyſio*,

cui

cui falſo Areopagitae cognomentum adſcribitur, quicumque ille ſit, *Ioanni* itidem Damaſceno hoc idem placuiſſe liquet; quamquam de *Dionyſio* levem admodum eſſe coniecturam dicendum, ex eo quod Angelos *νοεροὺς καὶ νοητοὺς intelligentes & tantum ſub intelligentiam cadentes* adpellat, ut iis, qui antiquorum Patrum, & Platonicorum Philoſophorum volumina evolverint, haud ignotum eſſe poteſt. Sed tunc demum huius opinionis admiratio percrebuit, quum tenebras illas, quas litteris liberalibuſque artibus armorum furor, & Barbarorum incurſus, triſti iuſtitio diſciplinis indicto denſiſſimas offuderat, nonnullus Peripateticae doctrinae diſcidit fulgor, ex Arabia ad nos bono an malo noſtrorum fato haud dictu facile, ſub undecimum ſaeculum tranſmiſſus. Tunc Ariſtotelis nomen ſcholae omnes ſive philoſophorum, ſive θεολογουμένων reſonare; tunc quidquid ille effutiiſſet, admirari, & tamquam de tripode dictum accipere. Tunc mentes neſcio quas minime materiatas, nullo corpore, coeleſtibus orbibus adfixas, ratarum coeli converſionum cauſſas, volentibus & nolentibus paſſim ingerere, atque inculcare. Quae tamen a me ita dicta velim, ut nemo ex hiſce νεωτερικῶν Theologorum ſententiae me contraire calumnietur, luculentam ſiquidem illam magnificamque demiror, & maieſtatis neſcio cuius amplitudine ſupra ceteras attolli, atque eminere. Cui quidem haud quaquam verendum eſt ne quinctae Synodi τῆς οἰκουμενικῆς ſcita reſiſtant, ubi *Ioannis* Theſſalonicenſis oratio laudatur, adprobaturque. Quum enim in eo conſeſſu de ſacrilegis Iconoclaſtarum auſis compeſcendis ageretur tantum ut, adverſus ſacras imagines cultus, & religio ſarcta & tecta; ut aiunt, atque in-

Digitized by Google

inviolata ſervaretur, ad aſſerendam divinis ſimulacris venerationem omnis Patrum reſpiciebat intentio. Hinc laudati quidem *Ioannis* ex iure manu conferentis, & obſervantiam Dei & Angelorum imaginibus vindicantis actionem adclamantes commendarunt: rationes tamen & argumenta, quibus rem ita ſe habere, atque haud ſecus facto opus eſſe; probabiliter perſuaſibiliterque demonſtrare nitebatur, comprobaſſe pariter Patres, nulla nos credere cogit auctoritas, aut neceſſaria convenientia ſuadet. Sed eo minus Ariſtotelis ſententiae adverſari lubet, quo eidem Platonem blandiri video, & ab animis corporis prorſus expertibus caeleſtes revolutiones fieri poſſe ſuſpicantem. Ita enim de ſiderum anima agens ſcribit *L. X. Leg. Vel tertio, quamvis ipſa nuda ſit corpore, quia tamen alias vires ſupra modum mirabiles habet, facile ducit.* Immo *Iamblichus De Myſteriis* quomodo ſubſtantiae incorporeae corporibus uniantur, ediſſerens, rem ita exponit ut modis omnibus Platonicum placitum non multum ab Ariſtotelis ſententia diſcrepare videatur. *Incorporeae ſubſtantiae*, inquit, *non ſunt in corporibus: ſed extrinſecus ea ducunt, dantque eis aliquid, non accipiunt. Igitur nec una cum his commutantur, neque ad eorum diſtributionem diſtribuuntur. Non enim ſunt habitus corporum, vel materiales formae, ſed ſubſiſtentes, ſeparabileſque, immo iam ſeparatae & ante corpora vivunt.* Attamen quum res in incerto ſit, iuxta illorum fidem, qui aptos alicui corpori Angelos cenſent, quod & Platonicorum placita maxime probant, de illorum corporibus curioſe & diligenter inquirendum eſt, & qualia illa ſint, vel eſſe dicantur, haud iniucunda quidem tractatione diſſerendum. Et primum Platonis, & aſſeclarum ve-

veſtigiis inhaerentes diverſa, nec eiusdem generis corpora, diis, & daemonibus tribuemus. Differenter enim & quoad corpora ſe habere haud vero quidem abſimile, quos in diverſos ordines diſſimilis omnino conditio diſcriminat. Eſt deorum quidem corpus tenue admodum, & liquidum, nec admixtione ulla concreſcit, rebus propemodum incorporeis adnumerandum. Illi potiſſimum conveniant, quae doctus, & acutus homo, *Iamblichus* de coeleſtibus corporibus litterarum monumentis conſignavit. *Coeleſte corpus*, inquit, *rebus eſt incorporeis cognatiſſimum, propter naturam ſimplicem, indiviſam, conſtantem, & actionem unam, ideſt, circuitum, & vitam ſibi congenitam, atque lucem. Non ſit in coelo compoſitio ex anima & corpore in tertiam naturam unam, ſed prorſus ad naturam animae trabitur, atque eſt quaſi adſpectabilis quaedam anima.* Hinc merito idem philoſophus docet; *numina ſupera nihil in ſe babere quod pati poſſit; & hoc quidem natura, non virtute conſequuta eſſe.* Haud aliter *Origenes Prooem.* περὶ ἀρχῶν Angelorum corpora, tamquam auram, tenuia & ſubtilia eſſe ait: *Caeſarius* vento, aut fumo, aut igni, aut aeri adſimilat: quos ideo *Ioannes* Theſſalonicenſis λεπτοσωμάτους, ἢ ἀερώδεις, ἢ πυρώδεις adpellat. Platonicis ad miraculum adſtipulatur *Auguſtinus*, qui *Libro de Geneſi ad literam tertio Cap. X.* quum bifariam elementa partitus eſſet, haec quidem ad patiendum, humorem ſcilicet, & humum diſtribuit: ad faciendum illa, aerem & ignem videlicet. Ex igne autem corpora Angelica, quae coeleſtia vocat ille, compingit, utpote quae perpeſſionis expertia: in aeream vero degeneraſſe qualitatem corpora perduellium Angelorum opinatur, ut aliquid ab igne, elemento naturae ſuperioris,

pati poſſent : aeri tamen neſcio quid vapidum, & caliginoſum admiſcet, quo id contingat: ſed aerem in eis praevalere dicit, ut actuoſi elementi efficientia illorum diſsolutio prohibeatur. *Auguſtino Claudianus Mamereus*, Regienſis *Fauſtus*, *Petrus* Lombardus, contraſtare non audent : *Caecilius Cyprianus*, & *Firmianus Lactantius* etiam favent. Ille enim *Lib. Quod Idola dii non ſint*, & *De habitu Virg.* ſcribit daemonas *a vigore coeleſti terreno contagio receſſiſſe :* Hic *L. II. Inſt. div. Cap. XV.* Deum miſiſſe Angelos ad tutelam, cultumque generis humani, iiſdemque praecepiſſe ante omnia, *ne terrae contagione maculati ſubſtantiae coeleſtis amitterent dignitatem*. Platonici quoque craſſiora corpora daemonibus tribuunt, quam diis : quorumdam etiam adſpectabila, ut aquatilium, inducit *Plato* in *Epinomide*, & in hoc noſtris maxime concinens. Verum de his pluria, ubi de Deorum praeſentiis agetur. Interim animadvertere eſt, non omnino a Chriſtianis philoſophis diſſidere *Platonem* in Epinomide, dum non uniuſmodi omnia omnium daemonum corpora infert, ſed alia quidem aetherea, aerea alia, & aquea : quandoquidem, quum *Auguſtinus L. III. de Geneſ. ad Litt. Cap. X.* & *L. II. Cap. XVI.* aethereos quosdam Angelos memoret, cui & *Ioannes* Damaſcenus *L. I. De Fid. Orthodoxa Cap. IV.* aſſentit, hoſce perduellionis reos e priſtinae dignitatis culmine deiectos cecidiſſe in ima, atque animalia evaſiſſe autumans ; ſtatim video & corpora, elemento, in quo collocati fuerant, cognata geſſiſſe olim, atque ita *Auguſtinum*, & *Ioannem* Platonicae ſententiae adulari quodammodo. Quid quod daemonas partim caeleſtes, partim terrenos, invehit *Lactantius Lib. II Cap. XV.* Nonne & diverſas corporum qualitates diſtribuat illis

illis neceſſe eſt? Sed iam tempus *Michaelem Pſellum* philoſophum profecto non ſpernendum, de Angelorum Daemonumque corporibus differentem audire: *Non eſt*, inquit, *corpus idem cognatum. Angelis atque Daemonibus. Angelicum enim corpus radios quosdam effundens alternis oculis ſubſtineri non poteſt, eis penitus evaneſcens: Daemonicum vero ſi unquam tale fuerit, eloqui neſcio. Videtur autem tale aliquando exſtitiſſe, quum Iſaias nominet Angelum, qui cecidit, Luciferum; nunc vero alioquin obſcurum, tenebroſumque exſiſtit, ac ſi coniugato lumine nudatum oculis offeratur, moleſtum nobis occurrit. Et Angelicum quidem materiae penitus expers, quapropter & per univerſum ſolidum penetrat, atque pertranſit, minuſque etiam quam ſolis radius paſſionibus eſt ob noxium. Solis namque radium per corpora diaphanatque tralucida procedentem, ſive ingredientem obſtacula terrena & opaca obſtantia detinent, adeo ut ſubſtineat fractionem, utpote qui ad malum cognationem habeat: Corpori vero Angelico nihil horum obſtat, utpote quod nullam a quoque oppoſitionem patitur, quippe cum horum nullis in ordine congruat, vel natura.* De Daemonum autem corpore haec habet. *Corpora vero Daemonica quamvis ob tenuitatem natura cerni non poſſint, attamen materiata quodammodo ſunt, paſſionique obnoxia, praeſertim quaecumque loca ſubterranea ſubiere. Haec adeo concreta ſunt, ut tactui ſubiiciantur, pulſataque doleant, & igni adpropinquantia comburantur, adeo ut horum quaedam cinerem quoque relinquant. Quod quidem apud Nurſios Italiae populos accidiſſe hiſtoria traditur, neque haec loquor, quaſi poeticam fabulam, monſtraque in medium adferens Cretenſium Phoeniciumque more, ſed ex ipſis Salvatoris verbis perſua-*

O 2 *ſus*

ſus haec adfirmo, quae tradunt Daemones igne torqueri, utpote, qui propterea quod corporei ſunt, pati poſſint. Quae quidem *Pſelli* verba nos admonent naturae daemonum patibilis, ut quidem & Platonicis placet. Quamquam refragatur omnino *Iamblichus De Myſteriis* negatque patibilem eſſe daemonum, deorumque naturam, nec perturbationum umquam, adfectuumque motibus concitari; quod tamem *Porphyrius* adſeruit. Sunt tamen & hanc in rem eiusdem *Michaelis* non minus elegantia verba, quae quamvis pluſcula, tamen e re huius tractatus fore arbitror, ſi adferantur in medium. *Sed numquid corpora Daemonum pulſari poſſunt?* inquit. *Poſſunt ſane atque dolere, ſolido quodam percuſſa corpore. Verum quo nam pacto quum ſint ſpiritus, neque ſolida neque compoſita natura, & compoſitorum eſt ſenſus? Sed profecto in iis, quae ſentiunt, non nervus ipſe eſt, qui ſentit, ſed qui ei ſpiritus ineſt. Quapropter ſi atteratur nervus, ſi frigeſiat, ſi quid aliter patiatur, ſpiritu videlicet in ſpiritum miſſo, fit dolor. Nempe compoſitum nunquam per ſe doleret, ſed quando participat ſpiritum, quo quidem privatum privatur & ſenſu. Daemonicum itaque corpus per totum ſe naturaliter ſenſuale ſecundum partes ſingulas abſque medio videt, audit, tangit, patiturque tangendo, & diviſum dolet ſicut corpora ſolida. Sed hoc intereſt quod corpora quidem ſolida, diviſa quum ſunt, aut vix, aut numquam reſtituuntur: corpus vero daemonicum ubi ſecatur, mox in ſe iterum recreatur, & coaleſcit, ſicut aquae, aeriſque partes, quando aliquid intercidit ſolidum, ſed & dictu velocius daemonicus ſpiritus in ſe revertitur. Dolet tamen interea dum dividitur, quamobrem aciem ferri metuit, idque animadvertentes, qui fugare Daemones moliuntur,*

tur,

tur , tela & enſes in rectum ibi conſtituunt , quo nolunt daemones adventare , atque alia machinamenta , tum oppoſitis paſſionibus propulſantes , tum congrua quadam adfectione mulcentes . Haec laudati philoſophi oratio mirum eſt dicere , quantum lucis adferat iis , quae a duobus principibus Poetis , *Homero* , & *Virgilio* , gravibus , & philoſophiae plenis , carminibus ornate decenterque finguntur. Ille enim Circem inducens Vlyſſi ſuadentem , ùt ad inferos deſcendat , & vatis Tireſiae animam conveniat , quum primum quae ſacra facienda , quae inferenda libamina , quaecumque rite peragenda , ut vita functorum animas adliceret , & evocaret , monſtraſſe illam dixiſſet , cautum quoque Heroem feciſſe ait , ut omnium primam Tireſiae umbram accedere permitteret , eamque adloqueretur , reliquis iterum , erepto vagina gladio , ab ſacri ſanguinis poculis adpropinquando deterritis , & procul manere coactis .

Αὐτὸς δὲ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηρῦ
Ἧσθαι, μὴ δὲ ἐᾶν νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα
Αἵματος ἆσσον ἴμεν πρὶν τειρεσίαο πυθέσθαι.

Quae commode Latine reddi poſſunt

A femore ipſe autem rigidum quum eduxeris enſem
Adſideas , minimeque ſinas ut luce carentum
Debilia accedunt capita, & prope ſanguinis undam
Delibent ; ſed Tireſiam prius ipſe rogaris .

Hic vero quum non abſimilem Aeneae ad inferos Sibylla duce deſcenſum recte ſapienterque commentus eſſet , ſacris rite peractis , & iam adventante Proſerpina , conclamantem vatem inducit , & procul abſcedere profanos imperantem, atque ita praecipientem Aeneae,

Tuque invade viam , vaginaque eripe ferrum ;
Nunc animis opus , Aenea , nunc pectore firmo .
Tantum effata , furens antro ſe immiſit aperto .

Ille ducem haud timidis vadentem paſſibus aequat.
Et profecto tali quidem prudens admonitu, quum per loca nocte ſilentia late graderetur, & obviae ſibi obſcenae peſtium variarum formae frequenter occurrerent, corripit

—— ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamque aciem venientibus offert.

Nec quod ſequitur ſententiam noſtram infirmat, ita enim exponendum eſt, ut Dux Troianus incaſſum aerea corpora verberaturus intelligatur, quod & ictibus cedant, & omnino irritos non reſiſtendo conatus efficiant. Verſus ſunt:

Et ni docta comes, tenueis ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formae,
Inruat, & fruſtra ferro diverberet auras.

Verum ſi patibilis naturae ſunt Daemones, vulneribuſque inflictis dolent, & vel ignis vi, vel coeli intemperie, miſere adficiuntur, non ſecus ac reliqua mortalium animantium ſaecula, diſſolutioni & interitu obnoxios eos dicere, haud profecto abſonum exiſtimabitur. Nam *Lucret. L. V.*

Nec ratione alia mortaleis eſſe videmur
Inter nos, niſi quod morbis aegreſcimus iiſdem,
Atque illi, quos a vita natura removit.

Et quidem mortales eſſe Daemones, & certis vitae curriculis peractis interire haud vero abſimile *Plutarcho De def. Oracul.* videtur, apud quem ita Cleombrotus diſſerit: *Quin etiam Heſiodus cenſet certis temporum curriculis Daemonas interire. Nam in perſona Naidis, etiam tempus illud ſignificans ait,*

Terna virescentum ter vincere garrula cornix
Secla virum iuſto vivendi limite fertur:
Et quater egreditur cornicis ſaecula cervus:
Alipedem cervum ter vincit corvus, at illum

Mul-

Multiplicat novies Phoenix, Iovis alma propago;
Quem decies veſtro Nymphae praevertitis aevo.
Temporis huius immenſam ſummam conficiunt, qui ſaeculum perperam accipiunt, quum ſit annus, ut ſi in aſſem colligas, novies mille ſeptingenti viginti anni Daemonum vitae tribuendi ſint: ut Mathematicorum plurimi ſummam aevi minorem cenſeant; maiorem ne Pindarus quidem dicat, qui aequali arborum & confatali eis fine canit Nymphas frui, ac proinde Hamadryadas eas adpellat. Hactenus Cleombrotus, cui aliiſque doctis viris, qui a Plutarcho de natura Daemonum diſputantes inducuntur, interloquens opportune Philippus, fabulam ſeu potius hiſtoriam refert de cuiusdam daemonis obitu, Thamo neſcio cui navis gubernatori Echinadas inſulas praeter naviganti, audita repente voce, nuntiato: quamquam hunc Pana, hoc enim nomine extinctus daemon deſignatus fuerat, non vere daemonem fuiſſe cenſet *Proculus L. I. in Timaeum p.* 35. ſed animam quamdam ex una in aliam generationem certa revolutione migrantem. Et huius narrationem excipiens Cleombrotus, & ſe talia quaedam commemorare poſſe ait, ſed iam ſatis ſibi eſſe propoſito nihil repugnare, neque impedimentum ſic ei ullum adferri. *Quamquam non me latet*, inquit, *Stoicos non ſolum mecum de daemonibus ſentire, ſed etiam in tanto deorum populo, unum ſempiternum & immortalem, alios nativos & interituros exiſtimare.* Quod tamen in Chryſippo, & Cleanthe, haud quidem iniuria, *Plutarchus* Stoicorum inſectator acerrimus *De Contrad. Stoic. & De commun. not. adv. Stoic.* carpit, reprehenditque vehementer. Sed & antea rationem adtulerat, cur mortales omnino daemones habendi ſint, adverſus Heracleonem aliter

opinantem inſurgens Cleombrotus; *Quin tute*, illum veluti obiurgans ait, *potius ipſe imprudenter, quod concedis, id tollis? Nam qui eſſe daemonas fateris, quum tamen neque improbos, neque mortales eſſe cenſeas, iam hoc ipſo ne daemonas quidem tueris. Quid enim inter Deos & Daemonas intererit, quum ſi naturam ſpectemus, interitus: ſi virtutem, perturbationum atque peccatorum ſint expertes?* Iſtorum ſententiae accedere videtur *Porphyrius L. II. De Sacrific.* qui corpora Daemonum eſſe diſſolubilia arbitratur. *Ficinus Argum. in Apolog.* tamen advertit aqueos tantum Daemones, qui infimi ordinis ſunt, habitos esse mortales, utpote non perpetuos ſed longaevos tantum; quamquam ceteri fere Platonici repugnant quammaxime, & *Iamblichus* praecipue, & *Maximus* Tyrius *Sermone XXVII.* Quorum ille corpora minime patibilia Daemonibus adſerit in *Myſteriis*; hic eatenus patibiles esse Daemones dicit, quatenus antiqua ſtudia, & vitae anteactae imitamina (animos enim corpore exſutos, Daemones esse cenſet) adhuc exercere intelligantur. *Xenocrates* certe Platonis ſodalis apud *Plut. De Def. Orac.* triangulo lateribus aequabili, Deum comparans: inaequabili, homines: cruribus exaequato, Daemonas, ſatis aperte ſignificat Deum omni ex parte parem & aequalem: homines vero totos undique diſpares: naturam vero daemonum aequalem partim, partim inaequalem, utpote quae & mortalium perturbationem, & deorum poteſtatem, aeternitatemque miſcet. Quam quidem ſententiam ſua auctoritate fulciunt *Plotinus*, & *Iamblichus*, & *Maximus* Tyrius, & Madaurenſis *Apuleius*, praeter alios pleroſque, utpote Platonis documentis conſonam, & mirifice convenientem. Hic enim ita Deum Daemonas adloquen-

quentem proponit in *Timaeo* : *Quamquam omne colligatum ſolvi poteſt , eſt tamen certe mali velle diſſolvere , quod convenienti & bona cohaeret harmonia . Quare quum orti ſitis immortales , certe quidem ex toto non eſtis , nec indiſſolubiles , nec tamen umquam diſſolvemini , nec mortis fatum ſubibitis . Nam mea voluntas maius potentiuſque vobis eſt vinculum ad perpetuitatem veſtram , quam illa quibus eſtis colligati* . Atque ita quidem ille , qui huiuſmodi verbis mihi ea in mentem revocat , quae de Angelorum ſeu Daemonum perpetuitate clariſſimi Eccleſiae Proceres ſerio iudicatoque ſenſerunt ; eos quidem immortales aeternoſque eſſe adfirmantes , non tamen natura , ſed Dei conditoris dono & voluntate, quam quidem rei cuiuſque naturam merito adpellat magnus *Auguſtinus* , maius potentiuſque vinculum ad illorum perpetuitatem , quam ipſa natura ſit , ab auguſtiſſimo philoſophorum graviter magnificeque iam dictam . Et hunc loquendi modum , ubi de naturarum , quae tantum intelligentia percipiuntur , aeternitate ſermo eſt , & apud Lugdunenſem Antiſtitem *Irenaeum* , & Philoſophum Chriſtianaeque veritatis teſtem *Iuſtinum* , & duo Eccleſiae lumina , *Ambroſium* , & *Auguſtinum* , & Acta pariter ſeptimae Synodi τῆς οἰκουμενικῆς facile inveneris . Quin & *Ioannes* Damaſcenus , qui fere omnium primus divinioris philoſophiae tractationem certa via , ac ratione digeſſit , explicavitque ; quique in ea fuit haereſi , quae Angelos incorporeos omnino , & materiae expertes cenſet , eos tamen non natura immortales perpetuoſque dicit , ſed Dei tantum munere ab interitus corruptione , veluti privilegio , exemtos fuiſse arbitratur . Et hi quidem Eccleſiaſtici ſcriptores , rerum humanarum divinarumque con-

conſultiſſimi, philoſophis max me aſsentari videntur, apud quos illud loco certiſſimi oraculi habitum, & paſſim decantatum, nativa quaecumque ſunt, & ab aliquo temporis principatu genita, haec eadem natura eſſe corruptioni & mortalitati obnoxia, & aliquando interitura. Verum id quibusdam Chriſtianae ſapientiae antiſtitibus adeo fuit perſuaſum, ut Angelos longinqui temporis mora, gravique labore & diuturno vexamine adflictos vel poſſe mori prope iam dixerint. *Tatianus* enim Iuſtini philoſophi auditor in hanc rem hiſce verbis ſcripſit: *Non facile autem moriuntur* (de Daemonibus loquitur) *iſti, quum carnei non ſint: ſed viventes negotia mortis exercent, toties nimirum & ipſi morientes, quoties illos, quibus praeeunt, peccatis imbuerint.* Cui quidem haud diſsentire videtur Hipponenſis Theologus, qui certe parum abeſt, quin Daemones diſsolvi poſse, atque interimi, exiſtimet, *L. III. de Geneſ. ad lit. Cap. X. Quapropter*, inquit, *etſi Daemones aerea ſunt animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent, & propterea morte non diſſolvuntur, quia praevalet in eis elementum, quod ad faciendum quam ad patiendum eſt aptius, &c.* At mirum videri non debet, ſi qui ex Chriſtianis philoſophis ambiguam prope dixerim, aut ſaltem imbecillam Daemonibus perpetuitatem vendicent, quum non aliam & animis nonnulli, Stoicis velut adsentantes, tribuere videantur. *Iuſtinus* quidem Martyr *Dialog. cum Tryphon.* ſene quodam interlocutore inducto, hominis animam eſse immortalem verbis diſertiſſimis inficiatur. Cui tamen mantelum quaeritur, ſi advertamus, non tam inibi animae immortalitatem negare, quam Platonicorum impugnare rationem, qua animam eſse aeternam, mortiſque expertem, evincere conten-

tendunt: eam nimirum nullum habuiſſe principium, & propterea nec finem ullum habituram aliquando dictitantes. Quam quidem *Iuſtini* verborum expoſitionem ii, qui cum illo ſummo iure agunt, veram & plauſibilem tamdem agnoſcent, ſi ad ea, quibus alibi animorum immortalitatem adſtruit, animum advertant. Non tam facile fortaſſis quis a *Tatiani* ambagibus, involutiſque verbis ſeſe explicet, & Ariadnes alicuius induſtriam, favoremque imploret, ut ſinuoſos inextricabilis erroris anfractus vel relegat, vel evadat. *Non immortalis eſt anima*, inquit, *o Graeci*, *ſuapte natura*, *ſed mortalis; eadem tamen ne moriatur fieri poteſt*. Et rurſus de anima pariter verba faciens: *Moritur*, inquit, *& diſſolvitur cum corpore, quae veritatis ignara eſt: reſurgit ac poſtea in conſummatione mundi una cum corpore, mortem in ipſa immortalitate per cruciatum & poenam ſentiens*. Et rurſus. *Anima quae Dei cognitione inſtructa eſt, licet ad tempus ſolvatur, non moritur. Siquidem anima per ſe tenebrae eſt, & nihil habet lucis. Hinc illud in ſacris litteris pronunciatur: Tenebrae non comprehendunt lucem. Non enim ſpiritus ab anima ſervatus eſt, ſed ipſe animam ſervavit & lux comprehendit tenebras. Eſt autem ratio lux divina, anima imperita tenebrae*. Sed pone virorum doctiſſimorum veſtigia ſequentes ab dubiae locutionis diverticulis in regiam apertiſſimae doctrinae viam, una virum doctum & eruditum deducentes, ſpero nos reverſuros. Et primum conſiderandum eſt, quod Syrus ille philoſophus de animae aeternitate, non natura illi, ſed alio quocumque modo convenienti ait, nil aliud profecto praeſeferre, quam id, quod pleriſque Eccleſiae Patribus, quorum nonnullos ſupra recenſuimus, ut ferebat illius aetatis Theo-

Theologia, placuit: eſſe Angelos nimirum & animos non natura, ſed Dei tantum effectoris munere & liberalitate perpetuos. Quod quidem altius eorum animis haeſiſſe comprehendimus; dum illos fere omnes nil in Angelis, nil in noſtris animis, niſi corporeum & materiatum adgnoviſſe, quod profecto natura perpetuum & indiſſolubile eſſe non poteſt, haud quaquam ignoramus. Quae vere expreſſius deinde explicatiuſque de animae interitu, & reſurrectione Sophiſta ille Syrus adfirmat, enarrabimus fortaſſe, nec procul omnino a vera ratione ferri demonſtrabimus, ſi penitiſſima ſecretioris philoſophiae adyta, ut certe initiatis fas eſt, rite ſubeamus. Summatim igitur breviterque indicandum eſt, quod tamen alibi opportunius latiſſime retractabitur, quosdam philoſophos, ut Platonicos certe, triplicem in homine excogitaſſe ſubſtantiam, animam ſcilicet, & corpus, & tertiam quamdam naturam, quae inter animam corpuſque eſſet media, quaeque iſta diſparia alioquin, & inter ſe maxime diſcrepantia apto nexu, & amicabili, veluti foederata, coniungeret. Eam quidem diverſis nominibus indigitarunt; Vehiculum, dixere Platonici; Spiritus vero nomine interdum ſignificari in ſacris litteris, haud vero ab ſimile eſt; ſed Animae, probabilius, frequentiuſque. Quod quidem nomen libentius amplexati ſunt noſtri, *Melito* in primis Sardorum Epiſcopus, *Tatianus*, cuius verba edifferere nitimur, *Origenes Adamantius*, aliique, quos percenſere longum eſt. Iam, adrectis animis, ubi *Tatianus* de animae interitu loquitur, de iſta natura media verba facere intelligamus. Eam interimi diſſolvique, haud quidem abſonum, quod latius alibi apertiuſque demonſtrabitur, ſpiritu interim, mente ſcilicet,

ſive

ſine principatu, incolumi atque immortali manente. Quamquam huic explicationi doctiſſimus Praeſul *Pet. Daniel Huetius* in *Origenianis* repugnat. Iam *Tatiani* verba intellectu facillima, iam & *Iuſtinus* a calumniis vindicatus; ſicubi enim vitali ſpiritu ſecreto diductoque animam corrumpi & extingui docet, iam quid animae nomine intelligat, perſpicuum manifeſtumque eſt. Non igitur hic Stoicis adulatur: non ille Arabibus, animas cum corpore perimi, in reſurrectione iterum excitandas, ſomniantibus, adſentitur. Et haec quidem expoſita atque explicata nos traduci ambiguos non ſinunt, quin & iuxta Procerum Chriſtianae ſapientiae placita daemones & quoad corpus patibili natura ſint, & doloribus variiſque incommodis adflictentur, quod quidem expreſſe incluto *Auguſtino*, & *Claudiano Mamerco*, *Fauſtoque* Regienſi probatur, quorum primus ita *L. III. de Geneſ. ad lit. Cap.* X. ſcriptum reliquit. *Si autem tranſgreſſores illi, antequam tranſgrederentur coeleſtia corpora gerebant, neque hoc mirum eſt ſi converſa ſunt in aeream qualitatem, ut iam poſſint ab igne, ideſt, ab elemento naturae ſuperioris aliquid pati*. Verum ſi res ita ſe habet, inquiſitione dignum videtur, utrum corpus daemonicum patiendo, & cruciatus doloreſque experiundo, ſuo robore & vigore ullo modo periclitetur, ita ut, vel infirmetur, vel imminuatur, vel mancum mutilumque plagis vulneribuſque reddatur. Et quidem ſi Platonicae ſectae homines conſulantur, corpora quidem Daemonum & plagis percelli, & vulneribus caedi, adfirmate reſpondeant, quod iam ſupra ſatis indicavimus ipſiſſimis *Michaelis Pſelli* verbis, ita tamen ut recreentur ſtatim & convaleſcant, ne forte aegritudine & imbecillitate

diu-

diutius immanente, diſſolvantur prorſus ac pereant; labore vero aliiſque incommodis ita eos vexari, frangique adfirment, ut corpora eorum langueſcant quodammodo, deperdant aliquid, quod reparari oporteat, prout ceterorum animantium corpora laſſeſcentia, cibo potuque ſumto, reficiuntur iterum, vegetanturque. Hinc non defuerunt, qui ali Daemones, ciboque & potu roborari, & pingueſcere, exiſtimarent, inter quos *Porphyrius*, librorum, quos *De Sacrificiis* inſcripſit, ſecundo, haec litteris commendavit; *Hi ſane ſunt dumtaxat* (de pravis tamen daemonibus loqui hic advertendum) *qui libamine, nidoreque carnium oblectantur. His enim ſpiritale corpus eorum pingueſcere ſolet. Vivit namque hoc vaporibus fumigationibuſque, atque varie admodum (ut par eſt) per vana, nidoreque ſanguinis & carnium vires adſumit. Pſellus* vero ut eſt in Daemonum natura, & ingenio perſequendo diligens, & curioſus, & quomodo ſe nutriant, congruumque recipiant alimentum, ex Marci Eremitae relatione, diſtincte admodum tradit. *Nutriuntur ſane*, inquit *Marcus* (ſunt laudati Pſelli verba) *alii quidem inſpiratione, veluti in arteriis & nervis viget ſpiritus. Alii vero humore, ſed non ore, immo vero ſicuti ſpongiae, atque oſtrea, exſugentes quidem humorem extrinſecus adiacentem, rurſus autem quod in humore concretius eſt ſecernentes. Id vero non patiuntur omnes, ſed ſolum genera Daemonum materiae proxima genuſque Daemonum quod odit lucem, & aquatile, atque ſubterraneum.* His tamen repugnat *Iamblichus* ſolertiſſimus, negatque daemones cibis, qui ex materia elementiſve conſtent, capi, vel veſci, toſtarumque carnium nidore delectari, utpote qui corpus habeant, ut ille ait, *immutabile, nec patibile*

bile , lucidum , nec indigum , ut nihil effluat inde , nihilque neceſſarium ſit influere. Et ſi aluntur , de quo tamen dubitat , nil noſtri eſſe indigos prudenter adfirmat , nec quaſi coenipetas , & paraſitos noſtras adpetere & venari epulas , ciboſque corporibus noſtris convenientes expoſcere , ſed ſuo quodam more ali nobis ignoto , & ſuae naturae maxime congruo , aliiſque omnino eſcis , quam nobis comminiſci aut excogitare liceat. Quae quidem divi *Iamblichi* ſententia illud in mentem revocat , quod Angelus Raphael Tobiae , filioque dixiſſe traditur *Cap. XII. v.* 19. *Videbar* , nimirum , *quidem vobiſcum manducare & bibere : ſed ego cibo inviſibili & potu , qui ab hominibus videri non poteſt , utor.* Quamquam panem Angelorum a divino Cantore memorari liquet , quem quidem *Magnus Baſilius Orat. I. de Ieiun.* eorumdem cibum eſſe cenſet , ſiquidem Angeli cibo & nutritione indigent , ſcribit enim alicubi : εἰ δὲ καὶ ἀγγέλων ἐστί τις τροφὴ, ἄρτος ἐστὶν ὥς φησιν ὁ προφήτης, ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος· οὐ κρέα, οὐδὲ οἶνος, οὐδὲ ὅσα τοῖς δούλοις τῆς γαστρὸς διεσπούδασται. Hoc eſt , *Si vero ulla eſt Angelorum eſca , panis eſt , ut ait Propheta : Panem Angelorum manducavit homo : non caro , non vinum , non aliquid eorum , quae ſervis ventris ſtudioſe conquiruntur.* Verum ubi de Daemonibus ſermo eſt in Porphyrii , Pſellique ſententiam eunt *Iuſtinus Martyr* , *Tatianus* , *Origenes* , *Clemens* Alexandrinus , *Tertullianus* , *Cyprianus* , *Euſebius* , *Minutius Felix* , *Baſilius* , *Ioannes Chryſoſtomus* , *Hieronymus* , eoſque *ſibi pabula propria nidoris & ſanguinis procurare , ſimulacris & imaginibus oblata* ſerio arbitrantur : quos ideo Stridonienſis Theologus *Epiſt. CXLVI. ad Damaſ.* porcorum Evangelicorum ſiliquis veſcen-

veſcentium, & coeno ſordibuſque gaudentium nomine intelligit, iam ab Alexandrino illo veteris eruditionis promtuario, & laedoriis hoc eodem nomine impetitos, & merita illuſione deriſos *in Protrept. Ipſi certe Daemones fatentur*, inquit, *ſuam ingluviem libaminis & nidoris, ut qui dicant ſortiti ſumus hoc munus. Quamnam aliam vocem ederent, ſi vocem acciperent dii Aegyptiorum, nempe feles, & muſtelae, quam Homericam & Poeticam, cui placet nidor, & condimentum obſoniorum?* Porro mirari non ſubit, quod *Septimius Tertullianus De Anim. Cap. VI. & Cap. XXXII.* epulis inhiare Daemonas cenſet, ſuffituque, & libamentis, carniumque nidore ſaturari, paſſim & ſine more helluantes; quum & animae cibum & alimentum neceſſarium exiſtimet, ne deficiat, corpus alioquin deſerturae. Scio *Pythagoram* (*apud Laert. in Vita*) qui animam ſanguine nutriri dixit, & *Soranum* methodicae medicinae eruditiſſimum Q. Septimio praeluſiſſe: adluſiſſe autem *Lactantium* ex noſtris *De opif. Dei Cap. XI. & XVII.* & ſaepe memoratum *Fauſtum*, ſi ἀνταγωνίςῃ *Claudiano De Stat. Anim. L. I. Cap. XVII.* fides adhibenda eſt. *Auguſtinum* video *Lib. de Vita Beat.* quaedam argumenta ad idem comprobandum, acute exiliterque comparantem, non hic tamen prementem veſtigia, ſed, ſententiae demum acclamantem Platonicorum, ſcientiam, & rerum notitiam, atque intellectum eſſe animae alimentum recte & ſapienter adſtruere. Haud igitur παράδοξον, philoſophorum nonnullos Daemonibus, tamquam ſervis demenſum praebere, quaſi cum Plautino liberto inſtent inclamentque ſibi opus eſſe, quod pappent: quum nec animos quidam huic indigentiae ſubtrahant, ſed eos una cum corpore convivari, & comeſſari

ri dictitent, immunes tamen, nec ſymbolam dare coactas. Haec autem omnia ad poetarum facile principem, *Homerum*, illuſtrandum maxime conferant, apud quem animae ab inferis evocatae atrum victimarum ſanguinem avide bibunt, quod quidem hactenus notare diſtulimus, quodque ille de animabus vita functis iucundo commento praedicat, & Daemonibus commode aptari poſſint; ut egregii Vatis carmina de curatione & cultu Daemonicorum corporum tractationem decenti, & ornata clauſula terminarent. Apud Poetam igitur Vlyſſes ſibi ita loquutam Tireſiae umbram dicit:

> Ἀλλ' ἀποχάζεο βόθρου, ἄπισχε δὲ φάσγανον ὀξὺ,
> Αἵματος ὄφρα πίω, καί τοι νημέρτεα εἴπω.
> Ὣς φάτ'. ἐγὼ δ' ἀναχασσάμενος ξίφος ἀργυρόηλον
> Κουλεῷ ἐγκατέπηξ', ὁ δ' ἐπεὶ πίεν αἷμα κελαινόν.
> *Sed fovea abſcede, & gladium removeto rigentem,*
> *Sanguinis ut potu ſatier, tibi veraque dicam.*
> *Sic ait. Ipſe autem argento praeſigne recondo*
> *Vagina ferrum: nigrum bibit ille cruorem.*

At quum plenam & abſolutam, quatenus operis ratio contextuſque patitur, de Daemonum ſubſtantia & corporibus diſputationem inſtituerimus: atque omne corpus certis finibus claudi, & alicuius figurae lineamentis circumſcribi, perſpicuum, evidenſque ſit: inveſtigandum ſupereſt qua facie, qualique totius corporis habitu, Daemones ſint perficianturque. Et primum, quae de forma corporum Daemonicorum *Porphyrius* commentatus ſit, videamus. Hic *Libro II. De Sacrificiis* hac ſuper re ita ſcribit:

Sunt autem hi omnes (ſcilicet Daemones malefici) *tum quos diviſimus ab his, diverſi* (probi beneficique videlicet) *inviſibiles, nec prorſus humanis ſenſibus manifeſti, non enim ſolido corpore veſtiuntur. Praeterea nec unam omnes formam habent, ſed figuris plurimis inſignitas. Et formae, quae illorum ſpiritum obſignant, alias quidem adparent, alias vero nequaquam, aliquando vero & formas mutant, illi ſcilicet, qui deteriores ſunt. Spiritus autem eorum, qua quidem ratione corporeum quiddam eſt, paſſioni obnoxium eſt, atque diſſolubile: ſed qua ab animis ita devinctum, ſpecies eius diu perſeverare poteſt, neque tamen eſt aeternum. Conſentaneum eſt aliquid ab eo ſemper effluere atque nutriri. In commenſuratione quidem corpus bonorum conſiſtit, quemadmodum & corpora nobis manifeſtorum, ſed maleficorum Daemonum inconcinna ſunt, ac affectione paſſiva locum incolunt terrae vicinum.* Non multo aliter *Pſellus*, Marci fidem & narrationem ſequutus, de facie daemonum loquitur: *Tum Marcus*, inquit, *dubitationem meam animadvertens, ait; nullus Daemon ſuapte natura mas eſt, vel femina. Compoſitorum enim ſunt huiuſmodi paſſiones: corpora vero Daemonum ſimplicia ſunt, directu flexuque facilia, ad omnemque configurationem naturaliter apta. Sicut enim nubes ſuſpicimus nunc hominum, nunc urſorum, nunc draconum, aliorumque praeferre figuras, ſic & corpora Daemonum. Sed hoc intereſt quod nubes externis agitatae ventis figuras varias agunt, Daemones autem proprio conſilio, prout ipſi volunt, corporum formas in ſe variant, & modo in breviorem molem contrahuntur, modo rurſus in longiorem ſe extendunt. Quemadmodum lumbricis videtur accidere ob ſubſtantiam molliorem ductuque facillimam: neque ſolum* ma-

magnitudine in eis diverſitas accidit, *verum etiam figuras coloreſque variant multiformes* : *corpus enim Daemonis ad utrumque eſt natura paratum*. *Qua enim ratione eſt natura facile cedens*, *ſic in varias figurarum ſpecies facile transformatur*, *qua vero aereum eſt*, *diverſos aeris inſtar colores ſubit*. Verum quum *Pſellus* ita loquens de malis noxiiſque daemonibus tantum verba faciat, *Porphyrio De Sacrif. L. II.* valde conſonant, qui praeter ea, quae ſuperius ex illo in medium attulimus, eos itidem alibi dicit *omniformibus figuris imaginibuſque abundare*, a quorum ſententia non omnino recedere audentem egregium *Auguſtinum* video, immo in eam magis quam in aliam propendere, niſi quod & ſanctis coeleſtibuſque Angelis nativorum corporum transfigurationem tribuit, & in varias multipliceſque formas, prout libet, converſionem: quum illos de Daemonibus tantum loqui certum ſit, & his quidem maleficis & pravis. Sed iam Antiſtitem coeleſtis ſapientiae clariſſimum, quamquam incertum, dubitanterque *L. III. de Trin. C. 1.* differentem audiamus: *Sed fateor*, inquit, *excedere vires intentionis meae*, *utrum Angeli manente ſpirituali ſui corporis qualitate*, *per hanc occultius operantes adſumant ex inferioribus elementis corpulentioribus quod ſibi coaptatum quaſi aliquam veſtem mutent*, & *vertant in quaslibet ſpecies corporales etiam ipſas veras* : *ſicut aqua vera in verum vinum converſa eſt a Domino*. *An ipſa propria corpora ſua transforment*, *in quod voluerint*, *accommodate ad id quod agunt*. *Sed quodlibet horum ſit*, *ad praeſentem quaeſtionem non pertinet*. *Et quamvis haec*, *quoniam homo ſum*, *nullo experimento poſſim comprehendere*, *ſicut Angeli*, *qui haec agunt*, & *magis ea norunt*, *quam ego novi* : *quatenus mutetur*

corpus meum in adfectu voluntatis meae, ſive quod in me, ſive quod ex aliis expertus ſum, quid horum tantum ex divinarum Scripturarum auctoritatibus credam nunc non opus eſt dicere, &c. Hactenus *Auguſtinus*, qui & in *Enchiridio Cap. LVIII.* ſuam ſervat indifferentiam, quaeſtionem definire non auſus ne determinaret cum diſcrimine, quod ſine crimine neſciebat. Vt vero hic fluctuat incertus, animumque modo huc, modo dividit illuc, ita & *Tertullianus*, qui doctrinae certe apud noſtros ſummatim obtinet, hac ſuper re ſe tradit ambiguum, modo enim Angelos, ubi Patribus viſi ſunt, converſos in effigiem & corpulentiam humanam adfirmat *L. de Carne Chriſti*; modo *L. III. adver. Marc.* non putativam fuiſſe in eis carnem, *ſed verae & ſolidae ſubſtantiae humanae*, inſolentia opinionis mirabili ſcribit. Quamquam neve hic eius ſtat gradus, ſed legentium, utrum malint, relinquit arbitrio, modo carnem Angelos, *undeunde ſumtam, & quoquomodo omnino dimiſſam*, mentitos non eſſe, adverſus Marcionem phantaſmata & larvas tantum invehentem, firmet atque adſtruat. Attamen quum in alteram ſententiam inclinare videatur animum, nullum eſt dubium, quin humanam Angelis formam, eamque perpetuam, vindicet; non enim ſub alia ſpecie & pedes eis lavit Abraham: & manibus ipſorum ereptus eſt Sodomitis Lothus; conluctatus quoque homini Angelus toto corporis pondere, dimitti deſideravit ab eo, a quo detinebatur. Quam quidem formam daemonibus tribuiſſe *Proculum*, haud quaquam dubito, quandoquidem & ſexuum diverſitatem inter eos explicate adfirmateque conſtituit. Videre enim eſt apud eum primo commentariorum, quos in Platonis Timaeum exaravit, θήλεις δαίμονας &

θήλεις

θείας δαιμονίδας divinos Daemones, *divinaſque Daemonides*, diſerte memoratos: ψυχικοὺς item δαίμονας & ψυχικὰς δαιμονίδας, quemadmodum σωματικοὺς & σωματικὰς *animales* ſcilicet *Daemones*, *& animales*, ſi ita vertere fas eſt, *Daemoniſſas*, *corporales* pariter utroſque; ſexuum certe differentia a diverſo corporis habitu ſumta: ordinum, a miniſterio, & procuratione praefecturarumque diſcrimine. Et quidem ita ſentiendo non multum ab Epicuri ſententia abludere *Proculum* video: ille enim apud *Cic. I. de Nat. deor.* & mares Deos, & feminas eſſe dicit, & humana ſpecie, & figura praeditos, utpote quae omnium pulcerrima, & abſolutiſſima exiſtimanda ſit; multum inſuper vaniſſimis populorum ſuperſtitionibus adulari, nil niſi Deorum Dearumque amores, rivalitates, coniugia, proles, adulteria, ſcortationes, commentis obſcaeniſſimis ingerentium, quos quidem errores poetae, pictores, opifices, ad miraculum auxerunt. Verum haec nobis attingere lubuit, ut ea quae diis pudenda & nefaria paſſim a veteribus tribuuntur, ea daemonibus tantum convenire una cum *Plutarcho* moneremus, qui plerumque magnorum ſcelerum labe temerati, naturae ſimilitudine Deorum famae & aeſtimationi nocuerunt. Quae quidem omnia lucem *Platoni* foenerantur, Deorum Dearumque amores in *Cratylo* memoranti, eorumque proſapiam & generationes expedienti in *Timaeo*. Attamen parum noſtra intereſt ſi & diis ſexus diſcrimen adſeratur, quum non me fugiat *Septimium Tertullianum De An. Cap. IX. & XXXVI.* illud & noſtris animis nimis confidenter adiudicare, quod & antea *Apelles* non pictor, ſed haereticus, a Philumena edoctus, praedicaverat: a quorum ſententia non multum abhor-

 ruiſſe

fuiſſe *Vincentium Victorem*, dum corporis, quod circumtulerunt, formam ſervare, animas morte obita dixit, luculenter teſtatur *Auguſtinus L. IV. De Anim. & eius orig. Cap. XX. Valentinus* quidem feminas illas omnes cenſuiſſe videtur, dum illas ſecundum obitum nuptui tradit, Angeliſque legis Papiae mulctam metuentibus connubio iungit. *Tertullianus adv. Valentinum* mares propterea Angelos eſſe arbitratur ne potius oſcitantem hallucinari dicam, quum pleroſque Eccleſiae patres eosdemque & ſanctitate & doctrina conſpicuos, eius partibus in hoc favere probabiliſſimum videam, humanam ideo formam angelis vindicare cum *Tertulliano* cenſendos. Cur enim alia figura potius, quam humana, Angelos circumſcriptos eos exiſtimaſſe crediderim, quos hominum ritu, deliciis delinitos, & voluptatibus deditos, mulieribus concubuiſſe praedicarunt. In hac haereſi fuerunt *Iuſtinus* Martyr, *Irenaeus*, *Clemens* Alexandrinus, *Athenagoras*, *Methodius*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, Caeſarienſis *Euſebius*, *Minucius Felix*, *Lactantius Firmianus*, *Ambroſius* Mediolanenſis, ut Iudaeum *Philonem* praeteream, varioſque Ebraeorum magiſtros, quorum modo rationem habere negligimus. Sed quae tanta fuit cauſa, cur haec illi de Angelis, reiecta poſtmodum ab omnibus, atque exſibilata, ſentirent? Geminam illam eſſe video, ni cum viris doctiſſimis fallor: geminas ſcilicet divinorum ſcriptorum auctoritates. Prima eſt ſacrorum Bibliorum, iuxta ſeptuaginta interpretum verſionem, ut *Hieronymus Quaeſt. Hebraic in Geneſ.* obſervat; ubi enim in *Geneſi VI* ſecundum Aquilam legitur: *Videntes filii Deorum filias hominum quod eſſent pulcrae, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Symmachus vertit:

Viden-

Videntes filii potentum filias hominum , &c. Vulgata vero tranſlatio habet ; *Videntes filii Dei filias hominum , &c.* Vetuſtiſſima illa traductio, atque etiam Italica, habebant : *Quum vidiſſent Angeli Dei filias hominum, &c.* Et de Italica quidem teſtantur *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Procopius*. Altera vero eſt libri, qui Enochum vulgo praeferebat auctorem, doctrina, quem quidem divinum diximus , ut primis Eccleſiae ſeculis proprie omnium ferebat opinio : & qui ſi *Nourrio*, ubi de Angelorum concubitu iuxta Martyrem Iuſtinum agit , credere dignum eſt , forte ab Enocho exaratus eſt , vel ſi minus , illo Enochi ſenſa & documenta Noemi induſtria poſteritatis memoriae commendata. Et iſtud quidem ex *Tertulliano* exploratiſſimum habemus ita in libro, cuius titulus eſt , *De cultu Feminarum* , ſcribente. *Per Angelos autem peccatores demonſtrata ſunt , qui & ipſas materias prodiderunt : & operoſitas cum raritate commiſſa precioſitate , ex ea libidine poſſidendae precioſitatis feminarum. Quod iidem Angeli qui materias eiuſmodi illecebras detexerunt , aurum dico , & argentum illuſtrium , & opera eorum tradiderunt , etiam calliblepharum vellerumque tincturas inter cetera docuerunt , damnati a Deo ſunt , & Enoch refert*. Sed quamquam haec olim plauſibilia fuerint, iam quod communibus inſequentium Theologorum ſuffragiis probatum eſt , firmiter atque inconcuſſe teneamus , nullum videlicet ſexum eſse in Angelis, & divi *Hieronymi Epiſt. CXLIII. Damaſo* , verba ſedule memoriae mandemus ita ſcribentis : *Nec putandum ſexum eſſe in virtutibus Dei , quum etiam ipſe Spiritus Sanctus , ſecundum proprietates linguae , femineo genere proferatur Ruach, Graece neutro , τὸ πνεῦμα , Latine maſculino , Spiritus*. Ex

quo intelligendum eſt, quando de ſuperioribus diſputatur, & maſculinum aliquid, ſeu femininum ponitur, non tam ſexum ſignificari, quam idioma ſonare linguae. Quae quidem verba conſulto de ſcripto recitata tranſcripſimus, ne ſi forte aliquando in divinis literis alicuius coeleſtis virtutis femineum nomen occurrit, ſtatim ſexum deſignatum ſubſpicemur, ut quum Regina coeli nominatur: hac enim adpellatione coeleſtem aliquam poteſtatem ſignificari cenſet *Origenes* περὶ ἀρχῶν. Verum & illud inſuper animadverſum velim, non illico fortaſſis vetuſtiſſimos illos Eccleſiae Proceres, quibus Angelos mulieribus ſe miſcuiſſe placuit, eos humana ſpecie, & figura formatos credidiſse indubitate cenſendos: potuerunt enim & alia forma praediti feminis libidinoſo congreſſu copulari, quod, licet dubitanter, indicat ὁ πάνυ *Auguſtinus* in haec verba ſcribens *L. XVI. De Civ. Dei Cap. XXIII. Et quoniam creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Silvanos & Faunos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſaepe extitiſſe mulieribus, & earum adpetiiſſe & peregiſſe concubitum: & quoſdam Daemones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc adſidue immunditiam & tentare, & efficere, plures taleſque adſeverant, ut hoc negare impudentiae videatur: non hinc aliquid audeo temere diffinire, utrum aliqui, ſpiritus elemento aereo corporati, nam hoc elementum etiam quum agitur flabello, ſenſu corporis tactuque ſentitur, poſſint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo poſſunt ſentientibus feminis miſceantur.* Sed & vir eruditione & ſcientia praeſignis *Plutarchus* in *Vita Romuli* apertiſſime ſcribit *non abſurde putari Aegyptios dicere,*

nihil

nihil prohibere quin halitus Dei adpulſus mulieri principia generationis infundat, quod ſatis oſtendit haud quaquam humana forma opus eſſe Daemonibus ut mulieribus congrediantur. Immo *Iuſtinus* ipſe, qui ceteris forte Patribus in hac opinione praeluxit; nihil minus, quam ſpeciem humanam Angelis in feminas inſanientibus vindicare videtur; eos enim per ſpectra mulieribus adparuiſſe, atque ita iis illuſiſſe manifeſte declarat *Apol. I. Daemones*, inquit, *perpectra adparentes* ἐπιφανείας ποιησάμενοι, *mulieres conſtuprarunt*, *& pueros imminuerunt*, *& terriculamenta hominibus exhibuerunt*. Verum hiſce omnibus reluctatur non ſpernendae eruditionis Monachus, *Ioannes Caſſianus Collat. VII. Cap. XXI.* & haud iniuria fortaſſis, Daemones feminis concumbere ullo modo poſſe inficiatur. At memoratos longa recenſione Patres, humanae figurae lineamentis Angelos circumſcripſiſſe poſtremum ſuadet, prolem ex eorum congreſſu genitam vultu & facie reliquis hominibus ſimilem, rubuſtiori tamen longiorique corporis habitu paternae originis excellentiam, & generoſita tem adteſtantem, ſerio iudicatoque exiſtimaſſe. Inde enim ortos eſſe Gigantes autumarunt, immani corpore homines, & incredibilis adrogantiae faſtu tumidos, quod tradit *Auguſtinus L. XVI. De Civ. Dei Cap. XXII.* ut praecipue ſenſit *Athenagoras*, quorum animas Daemones illos evaſiſſe dixit, qui circa terram obverſantes, ſeducunt, decipiuntque mortales, aſſidueque illis inſidias callidiſſimi meditantur, cui quidem non abludere Caeſarienſem *Euſebium* video *Prepar. Evang. L. II. Cap. IV.* Quamquam aliter ſe rem habere apud *Iuſtinum* video: non enim Gigantes ex Angelorum coitu, ſed Daemonas eſſe ortos diſertiſſime *Apolog. II.* ſcribit:

An-

Angeli, inquit, *diſpoſitionem illam* (Dei) *tranſgreſſi, cum mulierum, concubitus cauſa, amoribus ſunt victi, tum filios procrearunt eos, qui Daemones dicti ſunt, atque inſuper reliquum genus humanum in ſervitutem redegerunt*. Eadem ſentientem *Tertullianum* adverto. In celebri enim *Apologetico Cap. XXII.* ita ſcribit: *Sed quomodo de Angelis quibusdam ſua ſponte corruptis corruptior gens daemonum evaſerit damnata a Deo cum generis auctoribus, & cum eo quem diximus principe, apud literas ſanctas ordine cognoſcitur*. Verum omnium clariſſime iſtorum opinione adhaerens *Firmianus L. II. div. Inſtit. Cap. XV. Qui autem*, inquit, *ſunt ex his procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quamdam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut in coelum parentes eorum. Ita duo genera daemonum facta ſunt, unum coeleſte, alterum terrenum*. Ex quo intelligere eſt hybridas, ſecundum iſtos, quosdam Daemones procreatos fuiſſe, quos ſatis congruenter & lepide, ut iam ſemideos *in Protrept.* irriſit ἡμιόνυς, hoc eſt mulos, adpellaſſet *Clemens* Alexandrinus. Hiſce non diſſona ſunt, quae Plato de Heroibus ſcribit in Cratylo, medio quodam ſcilicet genere inter Deos & homines, illos nimirum *vel ex amore Deorum erga mulieres humanas, vel ex amore virorum erga Deas, fuiſſe genitos*. Hinc idem *Plato*, & *Pythagoras*, & *Xenocrates*, & *Chryſippus* priſcos ſequuti Theologos Typhonem, & Oſiridem, & Iſidem, Daemonas illos fuiſſe ſubindicantes, excellentiores quam homines fuiſſe adfirmant, ut *Plutarchus* quidem auctor eſt *Lib. de Iſide*. Sed & hi fortaſſis Gigantes Daemones eſſe ſub humana ſpecie cenſuerunt, ut in *Libro Enochi* habetur, & *Iuſtinus* opinatur, quodque non adeo a nobis remota

mota aetate *Paulus Burgenſis* defendit. Quae quidem omnia ſi vera eſſent, nimium demiſſe de Daemonum fecunditate ſenſiſſet *Pſellus*, vel potius ſolitudinum cultor Marcus, qui Pſello *interroganti utrum Daemones pati poſſent. Et valde quidem reſpondit, adeo ut nonulli Daemonum ſemen iaciant, atque in puſilla quaedam animalia oriantur:* Tum inſtanti, *incredibile videri, Daemonas excrementa habere, & membra genitalia. Habent quidem, inquit ille, membra, ſed non talia. Excrementum vero aliquod ex illis emanat.* Vt iam confirmet, quod ſupra dixiſſe vidimus, Daemones ſcilicet nec mares eſſe, nec feminas. Et haec quidem de ſpecie & figura Angelorum, & Daemonum iuxta utriuſque philoſophiae decreta dicere habuimus, quae tamen omnia mirabilis, & praeter omnium opinionem, Tertulliani alas illis adfingentis ſententia concludat: *Omnis ſpiritus ales eſt*, inquit. *Hoc Angeli & Daemones. Igitur momento ubique ſunt.* Haud tamen ſilentio praeteritum velim, ut dilucida & abſoluta de Patrum circa Angelorum cum mulieribus congreſſum ſententia tractatio ſit, eos duas in claſſes ſecerni diſtribuique. Et hos quidem de pravis tantum, & perduellibus iſta ſenſiſſe: illos, de bonis quidem, at ſenſim tamdem illecebroſa voluptate delinitis, & ad deteriora delapſis. A priorum partibus, ſi demum alterutris ſubſcribendum eſſet, ſtaret *Auguſtinus L. XV. de Civ. Dei Cap. XXII.* verum in hoc Solonis legem ſibi rogatam negat, & utramque opinionem impugnat prorſus, refellitque.

Τῷ τιμιωτάτῳ Μοναχῷ κυρῷ ἠσαΐᾳ· περὶ τοῦ εἴτε προκόπτειν οἱ δίκαιοι μέλλουσι κατά γε γνῶσιν, καὶ δόξαν, εἴτε καὶ μὴ μετὰ τὴν ἐκεῖσε ἀποκατάστασιν.

Λόγος η'.

ΠΡῶτον μὲν οὖν ἐπὶ τούτοις ἀναγκαῖον εἰπεῖν θεοείκελε ἄνερ ὁποῖά τις ἐστὶν ἡ ἐκεῖσε τοῖς δικαίοις ἀποταμιουσμένη κατάστασις· καὶ ὅπως αὐτῶν ἕκαστος καὶ τίνα τρόπον μετὰ ἐνθένδε βιοτὴν ἀναπαύσεται· οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἡ περὶ τοῦ κεφαλαίου τοῦ δὲ συζήτησις ἐκφαντικωτέρα γενήσεται τοῖς προσέχουσιν. εἰ γὰρ καὶ σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ ἐν εὐαγγελίοις ἠκούσαιμεν λέγοντος· ὅτι ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου πολλαὶ μοναί εἰσιν, ἀλλ'

οὐ

Admodum Venerando Monacho Domno Eſaiae. Vtrum iuſti proficere debeant ſcientia, & gloria, vel non, poſt eam, quae ibi erit, reſtitutionem.

Epiſtola VIII.

PRimum quidem igitur de his dicere neceſſe eſt, divinevir,qualis videlicet conditio eſt, quae ibi iuſtis reſervatur ; & quomodo ipſorum quilibet poſt hanc vitam requieſcet. Ita enim & de capite hoc quaeſtio attendentibus evidentior fiet. Si enim & ſervatorem noſtrum Ieſum Chriſtum in Evangeliis dicentem audiamus, in domo Patris ſui multas eſſe manſiones, non ûtique domiciliorũ differentiam hac & il-

lae

οὐ διαφορὰν οἰκημάτων ἔνθεν κἀκεῖσθαι ἐγειγερμένων καὶ τοῖς δικαίοις ἀποκεκληρωμένων· χαρισμάτων δὲ ἰδιότητας ὁ εὐαγγελικὸς καὶ θεῖος λόγος ἐντεῦθεν ὑπομνημήνατο περὶ τοῖς χαρίσμασιν λοιπὸν τὸ διάφορον· ἡ γὰρ μονὴ μία καὶ οὐ πολλαί· τίς δὲ ἡ μονὴ ἐκείνη καὶ πόθεν τοῖς δικαίοις ἀπονενέμηται τὰ χαρίσματα αὐτὸς ὁ κύριὸς ἡμῶν ἰησοῦς χριστὸς τοῖς πᾶσι πάντα τότε καθίσταται· αὐτός ἐστιν ἡ μονὴ, καὶ ἡ ἀνεκλάλητος τῶν δικαίων χαρά· αὐτὸς ἡ ἀπόλαυσις, αὐτὸς ἡ πάντων ἀνάστασις· καὶ τοῦτο δῆλον ἐξ ὧν ὁ θεολόγος γρηγόριος οὕτως οὕρηται λέγων· οὐκέτι λοιπὸν ἀθετήσω τὰ ὁμολογηθέντα μοι ἐν τῷ βαπτίσματι, ἵνα μὴ τῆς ἐκεῖθεν

lac excitatorum, & a iuſtis hereditate adeundorum, ſed chariſmatum proprietates evangelicus & divinus ſermo inde cõmemoravit. Ceterum chariſmatum diſcrimen eſt, una enim manſio, non multae. Quae vero manſio illa, & unde iuſtis chariſmata diſtribuantur, ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus cunctis omnia tunc conſtitutus eſt. Ipſe eſt manſio, & ineffabile iuſtorum gaudium; ipſe fruitio, ipſe omnium reſurrectio. Et id manifeſtum ex iis, quae Theologus *Gregorius* ita dicere reperitur. *Ceterum ne amplius contemnam, quae in Baptiſmo confeſſus ſũ, ne illa beatitudine excidam. Hæc autem eſt*

Tri-

θεν ἐκπέσω μακαριότητος. ἡ δέ ἐστιν ἡ τῆς τριάδος ἐκτυπωτέρα κατάληψις· πρὸς τούτοις δὲ καὶ ὁ ὁσιώτατος βαρλαὰμ, τίς ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐρωτηθεὶς τοιαύτην πρὸς τὸν ἰωάσαφ ἐκεῖνον ἐποιήσατο τὴν ἀπόκρισιν, ὡς ἐκ γραφῆς μεμάθηκα ἔγωγε· τὸ πλησίον γενέσθαι τῆς θεωρίας τῆς ἁγίας τριάδος· καὶ ἀνακεκαλυμμένῳ τῷ προσώπῳ τὴν δόξαν αὐτῆς ἐνοπτρίζεσθαι· ἔνθεν τοι καὶ τῷ νοητῷ μὲν ἡλίῳ ἐπεντρανίσουσιν ἅπαντες δίκαιοι, καὶ τοῦ θείου ἐκείνου φωτὸς γενήσονται μέτοχοι, εἰ καὶ μὴ ἐπίσης ἅπαντες· ἀλλὰ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ὅμως καθαρότητα ἕκαστος, καθάπερ γὰρ ὁ αἰσθητὸς οὗτος ἥλιος κοινὸς εἰς θέαν ἅπα-

σφο-

Trinitatis expreſſior comprehenſio. Inſuper & ſanctiſſimus *Barlaam*, quid ſit regnũ caelorum interrogatus, talem Ioaſapho illi reſponſionem dedit, *Vt ex ſcriptura ipſe didici, contemplationi ſanctæ Trinitatis proximum fieri, & revelata facie gloriam eius intueri*. Hinc & intelligibilem quidẽ ſolem intuebuntur omnes iuſti, & divinae illius lucis participes fient, licet non ex aequo omnes, ſed iuxta ſuam pariter munditiam quilibet. Sicuti enim ſenſilis hic ſol communis ad ſpectaculum omnibus proponitur, & huic minus, illi vehementius radios ſuos emittit; ſed pariter iuxta oculorum diſpoſitionem quilibet,

ci-

σι πρόκειται καὶ οὕτω μὲν ἔλασσον τῷ δὲ σφοδρότερον τὰς ἀκτῖνας αὐτοῦ ἐπαφίησιν· ἀλλ' ὅμως κατὰ τὴν τῶν ὀμμάτων διάθεσιν ἕκαςος, καὶ τὴν ἔλλαμψιν ἐκεῖθεν εἰσδέχεται, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς ἀπροσίτου ἐκείνης μαρμαρυγῆς καὶ τῶν ἐπεντρανισάντων αὐτῇ τηνικαῦτα γενήσεσθαι πίςευε· κατὰ γὰρ τὸν μακάριον παῦλον μεταχηματίσει τότε τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν ὁ σωτὴρ εἰς τὸ γενέσθαι σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ· αὐτὸς λοιπὸν ὑπάρχει τὸ φῶς· αὐτὸς ἡ ἀνεκλάλητος ἐκείνη χαρά· αὐτὸς αἱ πολλαὶ μοναί· αὐτὸς οἱ θρόνοι· αὐτὸς ἡ τράπεζα αὐτὸς ἡ βρῶσις, καὶ ἡ πόσις, καὶ πᾶν, εἴτι ἕτερον ἥδυσμα· αὐτός ἐςιν τῶν

οὐκ

& inde fulgorem recipit; ita & de illo inacceſſo ſplendore, & eis, qui ipſi inhaerent, tunc fore crede. Iuxta enim beatum *Paulum* transformabit tunc hoc noſtrum humile corpus Servator, ut corpori ſuo conforme fiat. Ceterum ipſe lux eſt; ipſe ineffabile illud gaudiũ; ipſe manſiones multae; ipſe ſedes; ipſe menſa; ipſe, cibus, & potus, & omne, ſi quid aliud, quod ſuave ſit. Ipſe eſt bonorum illorum participatio, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt. Quid enim admirabilius & ineffabilius quam per viſionem ipſi eius faciei adſtare? Norunt illi

inau-

ἀγαθῶν ἐκείνων ἡ μέθεξις· ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ οἶδε καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν· καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη· τί καὶ γὰρ παραδοξότερόν τι καὶ ἀῤῥητότερον τοῦ διὰ θέας αὐτῷ καὶ αὐτὸ προσώπως οὕτω παρίστασθαι· ἴσασιν ἐκεῖνοι τὴν ἀνεκδιήγητον ταύτην, καὶ ἀνήκουστον ἀγαλλίασιν, οἱ παρ' αὐτοῖς τοῖς κρατοῦσι παῤῥησίας μετέχοντες· οἱ δὴ ἠνεκῶς παριστάμενοι· καὶ τί χρὴ πολλὰ λέγειν, καὶ ἀπαριθμεῖν καθ' ἕκαστον; αὐτὸς ἡ πάντων ἀνάπαυσις· αὐτὸς καὶ ἡ κόλασις· καὶ δῆλον ἐξ ὧν ὁ θεολόγος γρηγόριος ἔλεγεν· ὦ τριὰς ἁγίη πᾶσι τότε γνωσθησομένη· τοῖς μὲν τῇ ἐλλάμψει, τοῖς δὲ τῇ κολάσει· καὶ αὖθις· φῶς ἐκεῖθεν τοῖς κεσι-

enarrabilem hanc & inauditam exſultationem, qui apud ipſos imperantes libertatẽ dicendi participant, qui continuo adſtant. Et quid multa dicere oportet, & ſingula enumerare? Ipſe eſt omnium requies; ipſe eſt punitio. Et exploratum ex iis, quae Theologus Gregorius dicebat: *Sancta Trinitas omnibus tunc cognoſcetur, bis quidem ſplendore, illis vero punitione*. Et iterum. *Lux illic puris Dei viſio, quam & regnum caelorum nominamus; tenebrae vero mente excoecatis Dei alienatio* Ceterum ſtant iuſti tunc mirabiliter fulgore perfuſi, & fulgentes, ut corpus pellucidum ſplendorem ſolis excipiens. Stant ineffabi-

Digitized by Google

καθαρμένοις ἡ τοῦ Θεοῦ θεωρία, ἣν δὴ καὶ βασιλείαν οὐρανῶν ὀνομάζομεν· σκότος δὲ τοῖς τὴν διάνοιαν τυφλώττουσιν, ἡ τοῦ Θεοῦ ἀλλοτρίωσις. ἵστανται λοιπὸν οἱ δίκαιοι τότε παραδόξως ἐλλαμπόμενοί τε καὶ λάμποντες καθάπερ τὸ σῶμα διαφανὲς μαρμαρυγὴν ἡλίου δεχόμενον· ἵστανται τῆς ἀῤῥήτου ἐκείνης φωτοχυσίας μετέχοντες κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ἕκαστος, ὡς εἴρηται, καθαρότητα· ἵστανται τὴν ἀπερινόητον ἐκείνην δόξαν περινοούμενοι· ἧς μέτοχοι γενέσθαι κατηξιώθησαν· ἧς οὐκ ἔστι κόρος λοιπόν· οὐκ ἔστι μέτρον, οὐκ ἔστι τελείωσις· ἀλλὰ μὴ ξένον τὸ πρᾶγμα ἡγοῦ· εἰ γὰρ ἀφθάρτῳ βασιλεῖ παριστάμενος κόρον οὐκ εἶδε τῆς ἐκείνου θέας,

καὶ

bilis illius lucis effuſionis participes, iuxta ſuam quiſque, ut dictum eſt, puritatem. Stant, intelligibilem illam gloriam comprehendentes, cuius participes fieri digni fuerunt; cuius nulla deinde ſatietas, nulla menſura, finis nullus. Sed ne peregrinam rem hanc exiſtimato. Si enim incorruptibili regi adſtans ſatietatem non novit ſpectaculi illius, & converſationis; ſed quantum ipſe fruatur, tantum deſideret, & liceat ob eam deliciis adfluere; multo magis is qui ineffabili illa gloria impleri & deferri dignatus fuerit. Bene igitur heinc iuſti & gloria & cognitione proficere dicuntur; & audi quid dicat

(1) Videtur locus eſſe corruptus.

καὶ ὁμιλίας· ἀλλ' ὅσον ἂν αὐτὸς ἀπολαύοιτο τοσοῦτον ἐφίεται, καὶ ἔξεστι ταύτης κατατρυφᾶν; πολλῷ μᾶλλον ὅς τις ἀῤῥήτου δόξης ἐκείνης ἐμφορεῖσθαι τότε καταξιωθείεν· καλῶς οὖν ἐπὶ τούτοις οἱ δίκαιοι καὶ δόξῃ καὶ γνώσει προκόπτειν λέγονται· καὶ ἄκουε τί φησιν ὁ τῆς κλίμακος ἁγιώτατος ἰωάννης. τινὰ μὲν τῶν γεγονότων καὶ τέλος παρὰ τοῦ πεποιηκότος ἐσχήκασιν· οἷον, ἡγεμονία βασιλεία καὶ πλοῦτος. ἡ ἀρετὴ δὲ τὸ πέρας ἀπέραντον κέκτηται· ἐν ᾗ προκόπτοντες οὐδέποτε καταλήξομεν· οὐ κατὰ τὸν παρόντα αἰῶνα, οὐ κατὰ τὸν μέλλοντα· φωτὶ φῶς γνώσεως προσλαμβάνοντες· κατὰ ταύτην μὲν οὖν τὴν διαληφθεῖσαν δῆλον ὅτι ἀπόδειξιν,

Sanctiſſimus Ioannes a Scala: *Quaedam vero eorum, quae facta ſunt, ab eo, qui fecit, finem habuerunt, veluti imperium, regnum, & divitiae; virtus autem finem infinitum poſſidet, in qua proficientes numquam quieſcemus, non hoc ſaeculo, non futuro; luce lucem ſcientiae accipientes. Iuxta hanc igitur ſumtam demonſtrationem manifeſtum eſt, quod neque intelligibiles ſubſtantias non proficientes ego dixerim; gloriam vero gloriam ſemper magis excipere, & ſcientiam, ſupra ſcientiam, definio, ſicut deiloquus & magnus dixit Dionyſius*. His igitur laudati Ioannis, & diviniſſimi *Damaſceni* verba omnino concinunt; dicit enim & ipſe, poteſta-

ξιν, οὐδὲ τὰς νοερὰς
οὐσίας ἀπροσκόπτους
ἔγωγε εἴποιμι ἂν, δό-
ξαν δὲ δόξῃ μᾶλλον
ἀεὶ προσλαμβανούσας,
καὶ γνῶσιν ἐπὶ γνώ-
σει ὁρίζομαι, καθὼς
ὁ θεοφάντωρ καὶ μέ-
γας ἔφη διονύσιος· τού-
τοις μὲν οὖν τοῖς τοῦ
διαληφθέντος δηλαδὴ
ἰωάννου, καὶ τὰ τοῦ
θειοτάτου δαμασκηνοῦ
παντάπασι συμφωνεῖ·
λέγει γὰρ καὶ αὐτὸς ἐ-
ξουσίαν ἔχειν τοὺς ἀγ-
γέλους μένειν καὶ προ-
κόπτειν ἐν τῷ ἀγαθῷ
καὶ οὐ μόνον τοὺς ἀγ-
γέλους, ἀλλὰ καὶ αὐ-
τὸν τὸν πρωτόπλα-
στον ἄνθρωπον· εἰ τοί-
νυν καὶ ὁ πρῶτος ἐκεῖ-
νος ἀδὰμ ἐξουσίαν
εἶχε μένειν, καὶ προ-
κόπτειν ἐν τῷ ἀγαθῷ,
ἀφορᾷ δὲ ὅμως καὶ τὰ
τῆς ἀναστάσεως εἰς τὴν
ἀρχαίαν ἐκείνην, καὶ
